

# L. COELII LA

CTANTII FIRMIANI DIVINARVM INSTITV  
TIONVM, ADVERSVS GENTEIS, DE  
FALSA RELIGIONE LIBRI PRI-  
MI PRAEFATIO, AD CONSTAN-  
TINVM IMPERATOREM.

*Quanti sit, & fuerit semper cognitio ueritatis: Et quod nec sine religione  
sapientia, nec sine sapientia sit probanda religio. Caput I.*



**M**AGNO & excellenti ingenio uiri, quum se doctrinae penitus deditissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus, ad inquirendae ueritatis studium contulerunt: existimantes multo esse praeclearius, humanarum diuinarumque rerum inuestigare ac scire rationem, quam aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus inhaerere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenaeque sunt, & ad solius corporis pertinet cultum, nemo melior, nemo iustior fieri potest. Erant quidem illi ueritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupierunt: atque ita, ut eam rebus omnibus anteponebant. Nam & abiicisse quosdam res familiares suas, & renunciasse uniuersis uoluptatibus, constat, ut solam nudamque uirtutem, nudi expeditique sequerentur: tantum apud eos uirtutis nomen atque autoritas ualuit, ut in ea omne summi boni praemium praediceret. Sed neque adepti sunt id, quod uolebant, & opera simul atque industriam perdiderunt: quia ueritas, id est arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio ac proprijs non potest sensibus comprehendit: alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia & dispositiones illius maiestatis aeternae, cogitatio assequeretur humana. Quod quia fieri non potuit, ut homini per se ipsum ratio diuina innotesceret, non est passus hominem Deus lumen sapientiae requirentem diutius oberrare, ac sine ullo laboris effectu uagari per tenebras inextricabiles: aperuit oculos eius aliquando, & notionem ueritatis munus suum fecit: ut & hu

a



†assertoribus

Philosophi ho-  
noratiores ora-  
toribus.

Constantinus  
Imperatorū o-  
mnium primus  
Christianus.

manam sapientiam nullam esse monstraret, & erranti ac uago uiam consequendae immortalitatis ostenderet. Verum quoniam pauci utuntur hoc coelesti beneficio ac munere, quod obuoluta in obscuro ueritas latet: eaque uel cōtemptui doctis est, quia idoneis tassertionibus eget: uel odio indoctis, ob insitam sibi austeritatem, quam natura hominū procliuus in uitia pati non potest. Nam quia uirtutibus amaritudo permixta est, uitia uero uoluptate condita sunt, illa offensi, hac delinīti feruntur in praecipua, ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur: succurrendū esse his erroribus credidi, ut & docti ad ueram sapientiam dirigantur, & indocti ad ueram religionē. Quae professio multo melior, utilior, gloriosior putanda est, quam illa oratoria: in qua diu uersati, non ad uirtutem, sed planē ad argutam malitiam iuuenes erudiebamus. Multo quippe nunc rectius de praecipis coelestibus differemus, quibus ad cultum uerae maiestatis mentes hominū instruere possimus. Nec tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene dicendi affert, quam qui pie atque innocenter docet uiuere. Idcirco maiori in gloria philosophi, quam oratores fuerunt apud Graecos. Illi enim recte uiuendi doctores sunt existimati, quod est longe praestabilius: quoniam bene dicere ad paucos pertinet, bene autem uiuere ad omnes. Multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc maiori copia, & facultate dicendi causam ueritatis peroremus: quae licet possit sine eloquentia defendi, ut est a multis saepe defensa, tamen claritate ac nitore sermonis illustranda, & quodammodo differenda est, ut potentius in animos influat, & uis sua instructa, & luce orationis ornata. De religione itaque nobis, rebusque diuinis instituitur disputatio. Nam si quidam maximi oratores, professionis suae quasi ueterani, decursis operibus actionum suarum, postremo se philosophiae tradiderunt, eamque sibi requiem laborum iustissimam putauerunt, si animos suos in earum rerum, quae inueniri non poterant, inquisitione torquerent, ut non tam otium sibi, quam negocium quaesisse uideantur, & quidem multo molestius, quam in quo fuerant ante uersati: quanto iustius ego me ad illam piam, ueram, diuinam sapientiam, quasi ad portum aliquem tutissimum conferam, in qua omnia dictu prona sunt, auditu suauia, facilia intellectu, honesta susceptu. Et si quidam prudentes & arbitri aequitatis, institutiones ciuilis iuris compositas ediderunt, quibus ciuium dissidentium lites, contentionesque sopirent: quanto melius nos & rectius diuinas institutiones literis prosequemur, in quibus non de stillicidijs, aut aquis arcendis, aut de manu cōserenda: sed de spe, de uita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas, erroresque turpissimos sopiamus. Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus Constantine Imperator maxime, qui primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis ac ueri & cognouisti & honorasti. Nam quum ille dies felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad beatum imperij culmen euexit, salutarem uniuersis, & optabilem principatum praclaro initio auspiciatus es: quum euersam sublatamque iustitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti. Pro quo facto dabit tibi deus felicitatem, uirtutem, diuturnitatem: ut eadem iustitia, qua iuuenis exorsus es, gubernaculum Reip. etiam senex teneas, tuisque liberis ut ipse a patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas. Nam malis, qui adhuc aduersus iustos in alijs terrarum partibus saeuunt, quanto serius, tanto uehementius idem omnipotens mercedem sceleris exoluet: quia ut est erga pios indulgentissimus pater, sic aduersus impios rectissimus iudex. Cuius religionem, cultumque diuinum cupiens defendere, quem potius appellem, quem alloquar, nisi eum, per quem rebus humanis iustitia ac sapientia restituta est: Omittis ergo huiusce terrenae philosophiae autoribus, nihil certi

**A** certi asserentibus, aggrediamur uiam rectam: quos equidem si putarem satis idoneos ad bene uiuendum duces esse, & ipse sequerer, & alios ut sequerentur, hortarer. Sed quum inter se magna cōcertatione dissideāt, secumq; ipsi plerunq; discordent, apparet eorum iter nequaquam esse directū: siquidem sibi quisq;, ut est libitū, proprias uias impesserunt, cōfusionemq; magnam quærentibus ueritatem reliquerunt. Nobis autē, qui sacramentū ueræ religionis accepimus, quum sit ueritas reuelata diuinitus, quū doctore sapiētiæ, ducemq; ueritatis deum sequamur, uniuersos sine ullo discrimine uel sexus uel ætatis, ad cœleste pabulum conuocamus. Nullus enim suauior animo cibus est, quàm cognitio ueritatis. Cuius asserendæ atq; illustrandæ septem uolumina destinauimus: quāuis ea res infiniti penē sit operis, & immensi: ut si quis hæc dilatare atq; exequi plenissime uelit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modū, nec finem reperiat oratio. Sed nos idcirco breuiter omnia colligemus, quod ea quæ allaturi sumus, tam clara sunt & lucida, ut magis mirum esse uideatur, tam obscuram uideri hominibus ueritatē, & ijs præcipue, qui sapientes uulgò putant, uel quod tantūmodo instruendi nobis homines erunt, hoc est ab errore quo sunt impliciti, ad rectiorē uiam reuocādi. Quod si fuerimus (ut spero) assecuti, mittemus eos ad ipsum doctrinæ uberrimū ac plenissimū fontem: cuius haustu atq; potu conceptam uisceribus sitim sedent, ardoremq; restinguant. Eruntq; illis omnia facilia, prona, manifesta: modò ne pigeat ad percipiendam sapiētiæ disciplinam, legendi uel audiendi patientiam cōmodare. Multi enim tuanis superstitionibus pertinaciter inhaerentes, obdurant se cōtra manifestam ueritatem, non tam de suis religionibus, quas prauè asserunt, benemeriti, q̄ de se male: qui quum habeant iter rectum, deuios sequuntur anfractus: planū deserunt, ut per præcipitium labantur: lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles iaceant. His cōsulendum est, ne contra se pugnent, uelintq; se tandem ab inueteratis erroribus liberari: quod utiq; facient, si quare sint nati, aliquando peruiderint. Hæc enim prauitatis est causa, ignoratio sui: quā si quis cognita ueritate discusserit, sciet quò referenda, & quemadmodum sibi uita degenda sit. Cuius scientiæ breuiter summam circumscribo, ut neq; religio ulla sine sapiētiā suscipienda sit, nec ulla sine religione probanda sapiētiā.

Veritatis cognitio suauis.

uarijs

Quod prouidentia sit in rebus humanis. Cap. II.



Vscepto igitur illustrandæ ueritatis officio, nō putauī adeò necessariū ab illa quæstione principium sumere, quæ uidetur prima esse natura: sit ne prouidentia, quæ rebus omnibus consulat, an fortuitu uel facta sint omnia, uel regantur: Cuius sententiæ autor est Democritus, confirmator Epicurus: sed & antea Protagoras, qui deos in dubiū uocauit: & postea Diagoras, qui exclusit: & alij nōnulli, qui non putauerūt deos esse: quid aliud esserunt, nisi ut nulla esse prouidentia putaretur: quos tamen cæteri philosophi, ac maxime Stoici acerrime retuderūt: dicentes, nec fieri mundū sine diuina ratione potuisse, nec constare, nisi summa ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quamuis Academicæ disciplinæ defensor esset, de prouidentia gubernatrice rerū, & multa sæpe disseruit, Stoicorum argumenta confirmans, & noua ipse asserens plurima: quod facit, tum in omnibus suæ philosophiæ libris, tum maxime in ijs, qui sunt de natura deorum. Nec difficile sanē fuit paucorū hominum prauè sentientium redarguere mendacia, testimonio philosophorum atq; gentium in hac una re non dissidentium. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cœlum tollens, tamen nesciat cuius dei prouidentia regatur hoc omne quod cernit, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, con-

Prouidentia à quibus sublata.

**C** stantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. Nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum. Et nobis utique facilissimum est exequi hanc partem quamlibet copiose. Sed quia multum inter philosophos agitata res est, & providentiam tollentibus satis responsum uideatur ab hominibus argutis & eloquentibus: & de solertia diuinæ providentiæ per totum hoc opus, quod suscepimus, sparsim dicere nos necesse est: omittamus hanc in præsentia quæstionē, quæ cum cæteris sic cohæret, ut nihil à nobis differi posse uideatur, ut non simul de providentiâ differatur.

An potestate unius dei mundus regatur, an multorum.

Cap. III.



Deus unus.

It igitur nostri operis exordium quæstio illa consequens, ac secunda: Vtrum potestate unius dei mundus regatur, an multorum? Nemo est quidem, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non unum deum esse intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, uirtute moderetur. Quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum: nisi forte ar-

bitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum atque uirium? Quod quidem faciunt isti, qui esse multos uolunt, quia necesse est imbecilles esse: siquidem singuli sine auxilio reliquorum tantæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus autem, qui est æterna mens, ex omni utique parte perfectæ cõsummataque uirtutis est. Quod si uerum est, unus sit necesse est. Potestas enim, uel uirtus absoluta, retinet

Solidum.

Perfectum.

suam propriam firmitatē. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere: id perfectum, cui nihil possit accedere. Quis dubitet potentissimum esse regem, qui totius orbis habeat imperium: neque immerito, quum illius sint, quæ ubique sunt omnia: quum ad eum solum omnes undique copię cõgerantur. At si plures partiantur or-

**D** bem, minus certe opum, minus uirium singuli habebunt, quum intra præscriptam portionē se quisque contineat. Eodem etiam modo dii, si plures sint, minus ualebunt, alijs tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non potest esse nisi in eo, in quo totum est: non in eo, in quo pars exigua de toto est. Deus uero si perfectus est (nam perfectus est) ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur uirtutes ac potestates infirmiores sint, necesse est: quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit: ita quanto plures, tanto minores erunt.

Dei potestas diuidi non potest.

Quid, quod illa summa rerum potestas ac diuina uis, ne semel quidem diuidi potest? Quicquid enim capit diuisionem, & interitum capiat necesse est. Si autem interitus procul est à deo, quia incorruptibilis est & æternus: consequens est, ut diuidi potestas æterna non possit. Deus ergo unus est, si nihil aliud esse potest quod tantumdem capiat potestatis: & isti tamen, qui multos esse arbitrantur, officia inter se dicunt esse partitos: de quibus omnibus suo loco disputabimus. Illud interim, quod ad præsentē locum pertinet, teneo. Si partiti sunt inter se officia, eodem reuoluitur res, ut ex istis quilibet sufficere omnibus nequeat. Perfectus igitur iam non erit, qui cessantibus cæteris, non potest omnia gubernare. Ita sit, ut ad regendum mundum unius perfecta uirtute magis opus sit, quam imbecillitate multorum. Qui autem putat hanc tantam magnitudinē non posse ab uno regi, fallitur. Nec enim quanta uis potestasque sit diuinæ maiestatis intelligit, si existimat singularem deum, qui facere mundum potuit, eundem regere non posse, quem fecit. At si concipiat animo, quanta sit diuini huius operis immensitas, quum antea nihil esset, tamen uirtute atque consilio dei ex nihilo esse cõflatam: quod opus nisi ab uno inchoari perficique non potuit: iam intelliget multo facilius ab uno regi, quod est ab uno constitutum. Dicat fortasse aliquis, ne fabricari quidem tam immensum opus mundi, nisi à pluribus potuisse: quamlibet multos, quamlibet magnos faciat, quicquid in multis magnitudi-

nis,

**A**nis, potestatis, uirtutis, maiestatisque posuerit, id totum in unum confero, & in uno esse dico: ut tantum in eo sit istarum rerum, quantum nec excogitari, nec dici potest. Qua in re, quoniam & sensu deficiamus & uerbis, quia neque tantae intelligentiae lucem peccus humanum, neque explanationem tantarum rerum capit lingua mortalis, id ipsum intelligere nos oportet, ac dicere. Video rursus quid e contrario dici possit: tales esse illos plures, qualē nos uolumus unum. At hoc fieri nullo pacto potest, quod singulorum potestas progredi longius non ualebit, occurrentibus sibi potestatibus ceterorum. Necessē est enim, ut suos quisque limites aut transgredi nequeat, aut si transgressus fuerit, suis alterum finibus pellat. Non uident, qui deos multos esse credunt, fieri posse ut aliquid diuersum uelint, ex qua re disceptatio inter eos & certamen oriat: sicut Homerus bellantes inter se deos finxit: quum alij Troiam capi uellent, alij repugnarent. Vnius igitur arbitrio mundum regi necessē est: nisi enim singularum partium potestas ad unam prouidentiam referatur, non poterit summa ipsa constare potestas, unoquoque nihil curante amplius, quam quod ad eum proprie pertineat: sicut ne res quidem militaris, nisi unum habeat ducem atque rectorem. Quid si in uno exercitu tot fuerint imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alae: primū nec instrui poterit acies, unoquoque periculum recusante, nec regi facile, aut temperari: quod suis proprijs consilijs utantur omnes, quorum diuersitates plus noceant quam profint. Sic in hoc rerum naturae imperio, nisi unus fuerit, ad quem totius summa cura referat, uniuersa soluentur & corruent. Dicere autem multorum arbitrio regi mundum, tale est, quale si quis affirmet, in uno corpore multas esse mentes: quoniam multa & uaria sunt ministeria membrorum, ut singulos corporis sensus, singulae mentes regere credantur: item multi affectus, quibus commoueri solemus uel ad iram, uel ad cupiditatem, uel ad latitiam, uel ad metum, uel ad miserationem, ut in his omnibus totidem mentes putentur operari.

Deorum certa  
mina.

Quod unus uere sit deus, à prophetis etiam prænunciatus. Cap. IIII



**Q**uod si quis profectio dicat, ne ipsam quidem quae una est, habere uideatur: quod si in uno corpore tantarum rerum gubernationem mens humana possideat, & uniuersis simul intenta est, cur aliquis existimet, mundum non posse ab uno regi, à pluribus posse? Quod quia intelligunt isti assertores deorum, ita eos praesse singulis rebus ac partibus dicunt, ut tantum unus sit rector eximius. Iam ergo ceteri dii non erunt, sed satellites ac ministri, quos ille unus maximus & potens omnium officijs his praefecerit, ut ipsi eius imperio ac nutibus seruiant. Si uniuersi pares non sunt, non igitur dii omnes sunt. Nec enim potest hoc idem esse, quod seruit, & quod dominatur. Nam si deus est nomen summæ potestatis, incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis, nulli rei subiectus. Ergo dii non sunt, quos parere uni maximo deo necessitas cogit. Sed quia non frustra falluntur ij, qui hoc ita putant, causam huius erroris paulo post aperiemus. Nunc unitatem diuinæ potestatis testimonijs comprobemus. Prophetæ, qui fuerunt admodum multi, unum deum praedicant, unum loquuntur: quippe qui unius dei spiritu pleni, quae futura essent, pari & consona uoce praedixerunt. At enim ueritatis expertes, non putant his esse credendum. Illas enim non diuinas, sed humanas uoces fuisse aiunt, uidelicet quia de uno deo praconiū faciunt, aut insani, aut mendaces fuerunt. At qui impleta esse in plerisque quotidie illorum uaticinia uidemus, & in unam sententiam congruens diuinitio, docet non fuisse furiosos. Quis enim mentis emotæ, non modò futura praecinere, sed etiam coherencia loqui possit? Num ergo fallaces erant, qui talia loquebantur? Quid ab his tam longe alienum fuit, quam ratio fallendi, quum ceteros ab omni fraude cohiberent? Idcirco enim à deo mittebantur,

Prophetarum  
fides.

Lucri studium  
mentiendi uo-  
luntatē parit.

C ut & præcones essent maiestatis eius, & correctores prauitatis humanæ. Præterea uoluntas fingendi ac mentiendi eorum est, qui opes appetunt, lucra desiderant: quæ res proculdubio ab illis sanctis uiris abfuit. Ita enim delegato sibi officio functi sunt, ut derelictis omnibus ad tutelam uitæ necessarijs, non modò in futurum, sed ne in diem quidem laborarent, cõtenti extemporali cibo, quem deus subministrasset: & ij nõ modò quæstum nullum habuerunt, sed etiã cruciatus atq; mortem. Amara sunt enim uitiosis ac male uiuentibus præcepta iustitiæ. Itaq; ij, quorum peccata & arguebantur & prohibebantur, excruciatos eos acerbissime necauerunt. Ergo à quibus abfuit studium lucri, abfuit etiã uoluntas peccandi, & causa fallendi. Quid, quod aliqui eorũ principes, aut etiã reges fuerunt, in quos cadere non posset suspiciõ cupiditatis ac fraudis, & tamen præconium dei singularis, eadem qua ceteri diuinatione fecerunt:

De testimonijs Poëtarum. Cap. V



Ed omittamus sanè testimonia prophetarum, ne minus idonea probatio uideatur esse, quibus ab his omnino nõ creditur. Veniamus ad auctores, & eos ipsos ad ueri probationem testes citemus, quibus contra nos uti solent: poëtas dico, ac philosophos: ex his unum deum probemus necesse est: Non quod illi habuerint cognitam ueritatem, sed quod ueritatis ipsius tanta uis est, ut nemo possit esse tam cæcus, qui nõ uideat ingentem se oculis diuinam claritatem. Poëta igitur, quamuis deos carminibus ornauerint, & eorum res gestas amplificauerint summis laudibus, sapissime tamen confitentur, spiritu, uel mente una contineri regiõq; omnia. Orpheus, qui & uetustissimus poëtarum, & æqualis ipsorum deorum ( siquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis & Hercule nauigasse ) deum uerum & magnum *πρωτόγονον*, id est primogenitum appellat, quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata. Eundem etiã *φάνητα*, id est apparentem nominat: quod, quum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit, & extiterit. Cuius originem atq; naturã, quia concipere animo non poterat, ex aëre immenso natum esse dixit:

*πρωτόγονος φάθωμ περιμήκεθ' ἦρος ἕως.*

Aliud enim amplius, quod diceret, non habebat. Hunc aut esse omnium deorũ parentem, quorum causa cœlum condiderit, liberisq; prospexerit, ut haberent habitaculum, sedemq; cõmunem *ἐκλυσευ ἀθανάτους δδμου ἀφθιτου*. Natura igitur & ratione ducente, intellexit esse præstantissimam potentiam, cœli ac terræ conditricem. Non poterat enim Iouem dicere esse principem rerum, qui erat Saturno genitus: neq; Saturnũ ipsum, qui Cœlo natus ferebatur. Cœlum autem tanquã deum primum cõstituire non audebat, quod uidebat esse elementum mundi, quod ipsum eguerit autore. Hæc eum ratio perduxit ad illum deum primogenitũ, cui assignat & tribuit principatum. Homerus nihil nobis dare potuit, quod pertineat ad ueritatem, qui humana potius quã diuina conscripsit. Potuit Hesiodus, qui deorum generationem unius libri opere complexus est. Sed tamen nihil dedit, non à deo conditore sumens exordiũ, sed à Chaos, quod est rudis inordinatãq; materiæ confusa congeries: quum explanare antè debuerit Chaos ipsum, unde, quando, quomodo esse, aut cõstare cœpisset. Nimirum sicut ab aliquo artifice disposita, ordinata, effecta sunt omnia, sic ipsam materiã fictam esse ab aliquo necesse est. Quis igitur hanc, nisi deus fecerit, cuius potestati subiacent omnia? Sed refugit hoc ille, dum horret incognitã ueritatem: non enim Musarum instinctu, sicut uideri uolebat, in Helicone carmen illud effudit, sed meditatus uenerat, & paratus. Nostrorũ primus Maro non longe fuit à ueritate, cuius de summo deo, quem spiritum ac

mentem

Orpheus

D

Homerus.  
Hesiodi Theogonia.

A mentem nominauit, hæc uerba sunt:

Principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes,  
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra,  
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus,  
Mens agit molem, & magno se corpore miscet.

*Aeneid. 6*

At ne quis forte ignoret, quisnam esset ille spiritus, qui tantum haberet potestatis, declarauit alio loco dicens:

Deum nanque ire per omnes  
Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum.  
Hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarum,  
Quecuq; sibi tenuis nascentem arcessere uitas.

Ouidius quoque in principio præclari operis, sine ulla nominis dissimulatione à deo, quem fabricatorẽ mundi, quem rerum opificem uocat, mundum fatetur instructũ. Quod si uel Orpheus, uel hi nostri, quæ natura ducente senserunt, in perpetuum defendissent, eandem quam nos sequimur doctrinam, comprehensa ueritate tenuissent. Sed hæcenus de poetis: ad philosophos ueniamus, quorum grauior est autoritas, certiusq; iudicium: quia nõ rebus commentitijs, sed inuestiganda ueritati studuisse credunt. Thales Milesius, qui unus è numero septem sapientum fuit, qui primus omnium quæsisse de causis naturalibus traditur, aquam esse dixit, à qua nata sunt omnia: deum autem esse mentem, qui ex aqua cuncta forma uerit. Ita materiam omniũ rerum posuit in humore, principiũ causamq; nascendi posuit in deo. Pythagoras ita definiuit quid esset deus: animus, qui per uniuersas mundi partes, omnemq; naturam commeans atq; diffusus: ex quo omnia quæ nascuntur animalia, uitam capiunt. Anaxagoras deum esse dixit, infinitam mentem, quæ per seipsum moueat. Antisthenes multos quidẽ esse populares deos, unum tamen naturalem, summæ totius artificem. Cleanthes & Anaximenes æthera dicunt esse summum deum: cui opinioni poeta noster assensit:

*Ouidij Metamorphosis.*

*Thales Milesius.*

*Pythagoras.*

*Anaxagoras.*

*Antisthenes.*

*Cleanthes.*

*Anaximenes.*

Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther  
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes  
Magnus alit, magno permixtus corpore fœtus.

Chrysippus naturalem uim diuina ratione præditam, interdum diuinã necessitatem, deum prædicat. Item Zenon diuinã naturalemq; legem. Horũ enim omniũ sententiã, quamuis sit incerta, eodem tamen spectat, ut prouidentia unam esse consentiãt: siue enim natura, siue æther, siue ratio, siue mens, siue fatalis necessitas, siue diuina lex, siue quid aliud dixeris, idem est, quod à nobis dicitur deus. Nec obstat appellationũ diuersitas, quã ipsa significatione ad unum omnia reuoluantur. Aristoteles, quamuis ipse secũ dissideat, ac repugnantia sibi & dicat & sentiat, in summum tamen unam mentem mundo præesse testatur. Plato, qui omnium sapientissimus iudicatur, monarchiam planè aperteq; defendit: nec æthera, aut rationẽ, aut naturam, sed, ut est, deum nominat: ab eo mundum hunc perfectũ atq; mirabilem esse fabricatũ. Quem Cicero secutus atq; imitatus in plurimis, deum frequenter cõfitetur, ac supremum uocat in ijs libris, quos de legibus scripsit, ab eoq; regi mũdum argumentat, quũ disputat de natura deorũ, hoc modo: Nihil est præstantius deo, ab eo igitur mundũ regi necesse est. Nulli igitur est naturæ obediens, aut subiectus deus: omnem ergo regit ipse naturã. Quid autẽ sit deus, in Cõsolatione definit: Nec uero deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, & segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiẽs, & omnia mouens. Annæus quoq; Seneca, qui ex Romanis uel acerrimus

*Chrysippus.  
Zenon.*

*Aristoteles.*

*Plato.*

*Cicero.*

*Seneca.*

C Stoicus fuit, quam saepe summum deum merita laude prosequitur. Nam quum de immatura morte differeret, Nō intelligis, inquit, autoritatem ac maiestatem iudicis tui, rectoris orbis terrarū, cœliq; & deorum omnium dei, à quo ista numina quæ singula adoramus & colimus, suspensa sunt? Item in exhortationibus: Hic quū prima fundamenta molis pulcherrime iaceret, & hoc ordiretur, quo neq; maius quicquam nouit natura, nec melius, ut omnia sub ducibus suis irent, quamuis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deos genuit. Et q̄ multa alia de deo nostris similia locutus est, quæ nunc differo, quod alijs locis oportuniōra sunt. Nunc satis est demonstrare summo ingenio uiros attigisse ueritatem, ac penè tenuisse, nisi eos retrorsum fucata prauis opinionibus consuetudo rauisset, qua & deos alios esse opinabantur, & ea quæ in usum hominis deus fecit, tanquam sensu prædita essent, pro dijs habenda & colenda credebant.

De testimonijs prophetarum & philosophorum: & de testimonijs Cotta pontificis, Trismegisti, & de decem Sibyllis. Cap. VI



Vnc ad diuina testimonia transeamus: sed prius unum proferā, quod est simile diuino, & ob nimiam uetustatem, & quod is, quem nominabo, ex hominibus inter deos relatus est. Apud Ciceronem C. Cotta pontifex disputans contra Stoicos de religionibus, & de uarietate opinionum, quæ solent esse de dijs, ut more Academicorum omnia facerent incerta,

Mercurij  
quinq;

quinq; fuisse Mercurios ait: & enumeratis per ordinem quatuor, quintum fuisse eum, à quo Argus occisus sit: ob eamq; causam in Aegyptū profugisse, atq; Aegyptijs leges ac literas tradidisse. Hunc Aegyptij Thoth appellant: à quo apud eos primus anni sui mensis, id est September nomen accepit. Idem oppidum cōdidit,

D  
Trismegistus.

quod etiā nunc græce uocatur *ἑρμόπολις*: & Saitæ seruant, & colunt eum religiose: qui tamen si homo fuerit, antiquissimus tamen & instructissimus omni genere doctrinæ, adeo, ut ei multarū rerū & artiū scientia, Trismegisto cognomen imponerent. Hic scripsit libros, & quidē multos, ad cognitionem diuinarū rerum pertinentes: in quibus maiestatem summi ac singularis dei asserit: iisdemq; nominibus appellat, quibus nos deum & patrē: ac ne quis nomē eius requireret, *ἀνώνυμον*, id est sine nomine esse dixit, eo quod nominis proprietate nō egeat, ob ipsam scilicet unitatem. Ipsius hæc uerba sunt: *ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ἀνόματος οὐ προσδέεται, ἐπεὶ γὰρ ὁ ἅμ ἀνώνυμος*. Deo igitur nomen non est, quia solus est: nec opus est proprio uocabulo, nisi quum discrimen exigit multitudo, ut unamquancq; personā sua nota & appellatione designes: deo autē, quia semper unus est, propriū nomen est deus. Superest de responsis carminibusq; sacris, testimonia quæ sunt multo certiora proferre: nam fortasse ij, contra quos agimus, nec poëtis putant esse credendū, tanquam uana fingentibus: nec philosophis, qui errare potuerūt, quia & hi homines fuerūt.

M. Varro omniū doctiss.

M. Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Græcos quidem, neq; apud Latinos uixit, in libris rerum diuinarū quos ad C. Cæsarē scripsit pontificem maximū, quum de quindecim uiris loqueretur, Sibyllinos libros ait nō fuisse unius Sibyllæ, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes scæminæ uates Sibyllæ sunt à ueteribus nūcupatæ, uel ab unius Delphidis nomine, uel à cōsilijs deorū denunciantis: *σῆς* enim deos, nō *θεὸς*: & consiliū nō *βουλῶν*, sed *βουλῶν* appellabant Aeolico genere sermonis: itaq; Sibyllā dictā esse quasi *θεοβουλῶν*. Caterū Sibyllas decem numero fuisse, easq; omnes enumerauit sub autoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse de Persis, cuius mentionē fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secūdam Libycā, cuius meminit Euripides in Lamiae prologo. Tertiā Delphicā, de qua Chryssippus loquit in eo libro, quem de diuina

Sibyllæ quot  
& unde

tionē



**A** tione cōposuit. Quartam Cumæam in Italia, quam Næuius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. Quintā Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse ciuem: eamq; Graijs Ilium petentibus uaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia scripturū. Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus, Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam nomine Amalthæam, quæ ab alijs Demophile, uel Herophile nominatur: eamq; nouem libros attulisse ad regem Tarquiniū Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulasse: regemq; aspernatum precij magnitudinem, & derisisse mulieris insaniam: illam in conspectu regis tres combussisse, ac pro reliquis idem precium postulasse: Tarquiniū multo magis mulierem insanire putasse: quæ denuò tribus alijs exustis, quum in eodē precio perseueraret, motū esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse: quorū postea numerus sit auctus, Capitoliū refecto: quod ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Græcis, & præcipue Erythræis, coacti allatiq; sunt Romam, cuiuscunq; Sibyllæ nomine fuerūt. Octauam Helleponticam, in agro Troiano natam, uico Marpeffo, circa oppidum Gengithium, quam scribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuisse temporibus. Nonam Phrygiam, quæ uaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem, nomine Alburneam, quæ Tiburi colitur ut dea, iuxta ripas Anienis: cuius in gurgite simulacrū eius inuentū esse dicitur, tenens in manu librum: cuius sacra senatus in Capitoliū transtulerit. Harum omnium Sibyllarū carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ, cuius libri à Romanis occuluntur, nec eos ab ullo, nisi à quindecim uiris inspicere fas est. Et sunt singulariū singuli libri: qui, quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur: suntq; confusi, nec discerni, ac suum cuiq; assignari potest, præter Erythrææ, quæ & nomen suum carmini uerū inseruit, & Erythræam se nominatum iri prælocuta est, quum esset orta Babylonix: sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimonijs earū fuerit abutendū. Omnes igitur hæ Sibyllæ unum deum prædicant, maxime tamen Erythræa, quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habet: siquidē Fenestella diligentissimus scriptor de quindecim uiris dicens ait: Restituto Capitoliū retulisse ad senatum C. Curionē Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ cōquisita Romam deportarent. Itaq; missos esse P. Gabiniū, M. Octaciliū, L. Valerium: qui descriptos à priuatis uersus circa mille Romam deportarunt: Idem supra ostendimus dixisse Varronem. In ijs ergo uersibus, quos legati Romam attulerūt, de uno deo hæc sunt testimonia:

*Εἷς θεός, ὃς μόνος ἔστιν ὑπερμεγέθης, ἀργύρεος.*

Hunc esse solum deum summum, qui cœlum fecerit, luminibusq; distinxerit.

*Ἀλλὰ θεός μόνος εἷς πανυπέριταρος, ὃς πεποίηκεν  
οὐρανόν, ἡλιόν τε καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,  
καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἰδματὰ πόντου.*

Qui quoniā solus sit ædificator mundi, & artifex rerum, uel quæ in eo sunt, solum coli oportere testatur.

*Ἀὐτὸν ἔμ μόνου ὄντα σέβειδ' ἡγήτορα κόσμου,  
ὃς μόνος εἷς αἰῶνα, καὶ ἄξ αἰῶνος ἔτυχεν.*

Item alia Sibylla, quæcūq; est, quū perferre se ad homines dei uocē diceret, sic ait:

*Εἷς μόνος εἶμι θεός, καὶ οὐκ ἔστι θεός ἄλλος.*

Exequerer nunc testimonia cæterarū, nisi & hæc sufficerent, & illa opportunioribus locis referuarem. Sed quum defendamus causam ueritatis apud eos, qui aberrantes à ueritate, falsis religionibus seruiūt, quod genus probationis aduersus eos magis adhibere debemus, quàm ut eos deorum suorū testimonijs reuincamus.

*Sibylla nouem  
libros ad Tar-  
quiniū Prisca  
cum attulit.*

*Libri Sibyllini*

C



Apollinis de  
deo respon-  
sum.

Ἀπόλλωνος, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀσυφέλικτος,  
ὄνομα μὲν δὲ λόγῳ χωρὶς μὲν, ἢ πρὸς ναίων,  
τοῦτι θεός, μικρὰ δὲ θεῶν μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Pollo enim, quem præter cæteros diuinum, maximeq; fatidicum existi-  
stimant, Colophonæ respondens (quod Delphis credo emigrauerat,  
amœnitate ductus Asiæ) quærēti cuidā quis esset, aut quid esset omni-  
no deus, respondit uiginti & uno uersibus: Quorū hoc principiū est:

Nunquid potest suspicari de Ioue esse dictum, qui matrē habuit, & nomen? Quid  
quod Mercurius ille ter maximus, cuius suprā mentionem feci, non modò ἀμήτω-  
ρα, ut Apollo, sed ἀπάτωρα quoq; appellat deum, quod origo illi non sit aliunde:  
nec enim potest ab ullo generari, qui ipse uniuersa generauit. Satis (ut opinor) &  
argumentis docui, & testibus cōfirmaui, quod per se satis clarum est, unum esse re-  
gem mundi, unum patrem, unum deum. Sed fortasse quærat aliquis à nobis idem  
illud, quod apud Ciceronē quærīt Hortensius: Si deus unus est, quæ esse beata so-  
litude queat? tanq; nos qui unum esse dicimus, desertū ac solitariū esse dicamus?

Angeli-

Habet enim ministros, quos uocamus nuncios. Et est illud uerum, quod dixisse in  
exhortationibus Senecam suprā retuli, genuisse regni sui ministros deum. Ve-  
rum hi neq; dii sunt, neq; deos se uocari, aut colī uolūt: quippe qui nihil præter ius-  
sum ac uoluntatem dei faciant. Nec tamen illi sunt, qui uulgò coluntur: quorū &  
exiguus & certus est numerus. Quod si cultores deorū ipsos eos se colere putāt,  
quos summi dei ministros appellamus, nihil est quod nobis faciant inuidiam, qui  
unum dicamus, multos negemus. Si eos multitudo delectat, non duodecim dici-  
mus, aut trecētos sexaginta quinq; (ut Orpheus) sed innumerabiles esse: arguimus  
eorum errores in diuersum, qui tam paucos putant. Sciant tamen quo nomine ap-  
pellari debeant, ne deum uerum uiolent, cuius nomen exponunt, dum pluribus  
tribuunt. Credant Apollini suo, qui eodem illo responso, ut Ioui principatum, sic  
etiam cæteris dijs abstulit nomen. Tertius enim uersus ostendit dei ministros, nō  
deos, uerum angelos appellari oportere. De se quidē ille mentitus est, qui quum  
sit ē numero dæmonum, angelis se dei aggregauit: deniq; in alijs responsis dæmo-  
nem se esse cōfessus est. Nam quū interrogaretur, quomodo sibi supplicari uellet,  
ita respondit:

Γάνσοφε πανρδίδακτ' ἐνολοίσσοφε μὲ κλύθι δαίμον.

Item rursus quum preces in Apollinem Smytheū rogatus expromeret, ab hoc  
uersu exorsus est:

Ἀρμονίη κόσμοιο φαισφόρε καί σοφὲ δαίμον.

Quid ergo superest, nisi ut sua cōfessione uerberibus ueri dei, ac pœnæ subiaceat  
sempiternæ? Nam in alio responso ita dixit:

Δαίμονες οἱ φοιτᾷσι πρὸς χθόνα ἢ πρὸς πόντον  
ἀκάματοι, δάμανται ἑσπαι μάστιγι θεοῦ.

De utrisq; generibus in ij. lib. differemus. Interim nobis sat est, quod dum se ho-  
norare uult, & in cœlo collocare, cōfessus est id quod res se habet, quomodo sint  
appellandi, qui deo assistunt. Retrahant ergo se homines ab erroribus: & abiectis  
religionibus prauis, parentē suum, dominūq; cognoscant, cuius nec uirtus existi-  
mari potest, nec magnitudo perspicī, nec principiū cōprehendi: quū ad illū men-  
tis humanæ intentio, & acumen, & memoria peruenerit, quasi subactis & cōsum-  
matis omnibus uijs subsistit, hæret, deficit: nec est aliquid ulterius, quò progredi  
possit. Verū quia fieri nō potest, quin id quod sit, aliquādo esse cœperit, cōsequens  
est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus: ideoq;  
ab Apolline ἀπόλλωνος, à Sibylla ἀπόλλωνος, & ἀγέννητος, & ἀποίητος nominatur: quod

Seneca

A Seneca uir acutus in exhortationibus uidit. Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem perspicimus, cui quod est optimū in nobis, debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit, Deus ipse se fecit.

Quod Deus sine corpore sit, nec sexu ad procreandum egeat.

Cap. VIII.



Is igitur tot & tantis testibus comprobatur, unius Dei potestate ac prouidentia mundum gubernari: cuius uim maiestatemque tantam esse dicit in Timæo Plato, ut eam neque mente concipere, neque uerbis enarrare quisquam possit, ob nimiam eius & inestimabilem potestatem. Dubitet ergo aliquis, an quicquam difficile, aut impossibile sit Deo,

Dei maiestas  
inestimabilis.

qui tanta, tamque mirifica opera prouidentia excogitauit, uirtute constituit, ratione perfecit: nunc autem spiritu sustentet, potestate moderetur: inexcogitabilis, inestimabilis, & nulli alij satis notus quam sibi. Vnde mihi de tanta potestate sapius cogitanti, qui deos colunt interdum uideri solent tam cæci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multum à mutis animalibus differentes, qui credant eos, qui geniti sunt maris ac foeminae coitu, aliquid maiestatis diuinæque uirtutis habere potuisse, quum Sibylla Erythraea dicat:

in maiestate

οὐ δυνάει ἀνδρῶς

Εκ μητρὸς μητρῶς τε θεὸς τετυπωμένον εἶναι.

Quod si est uerū, sicuti est, apparet Herculem, Apollinem, Liberū, Mercurium, Iouemque ipsum cum cæteris, homines fuisse, quando sunt ex duobus sexibus nati. Quid est autem tam remotum à Deo, quam id opus, quod ipse ad propagandam sobolem mortalibus tribuit, et quod sine substantia corporali nullum potest esse?

Dij gentium ho-  
mines aliquan-  
do fuerunt.

B Dij ergo si sunt immortales & æterni, quid opus est altero sexu? nimirum ut generentur. Ipsa progenie quid opus est, quum successione non egeant qui futuri sunt semper? Nam profecto in hominibus cæterisque animantibus, diuersitas sexus & coitio & generatio nullam habet aliam rationem, nisi ut omnia genera uiuentium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutua possint successione seruari: Deo autem, qui est sempiternus, neque alter sexus, neque successio necessaria est. Dicit aliquis, ut habeat uel ministros, uel in quos ipse possit dominari. Quid igitur opus est sexu foemineo, quum Deus, qui est omnipotens, ut uocatur, sine usu & opera foeminae possit filios procreare? Nam si quibusdam minutis animalibus id præstitit, ut sibi è folijs natos, è surauibus herbis ore legant, cur existimet aliquis ipsum Deum nisi ex permissione sexus alterius non posse generare? Illos igitur, quos imperiti & insipientes tanquam deos & nuncupant & adorant, nemo est tam inconsideratus, qui non intelligat fuisse mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, dij crediti sunt? nimirum quia reges maximi ac potentissimi fuerunt, ob merita suarum uirtutum, aut munerum, aut artium repertarum, quum chari fuissent ijs, quibus imperitauerant, in memoriã sunt consecrati. Quod si quis dubitet, res eorum gestas & facta consideret, quæ uniuersa tam poetæ quam historici ueteres prodiderunt.

De Hercule & gestis eius, atque ortu eius ex Ioue & Alcmena,

& morte eius.

Cap. IX.



Hercules, qui ob uirtutem clarissimus, & quasi Africanus inter deos habetur, nonne orbem terrarum, quem peragrasset ac expurgasset narratur, stupris, libidinibus, adulterijs inquinauit? nec mirum, cum esset adulterio genitus Alcmenæ. Quid tandem potuit in eo esse diuini, qui suis ipse uirtutibus mancipatus, & mares & foeminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio affectus? Sed ne illa quidem, quæ magna & mirabilia gessit, talia iudicanda sunt, ut uirtutibus diuinis tribuenda uideantur. Quid enim tam magnificum, si leonem, aprumque superauit, si aues sagittis deiecit, si regium stabulum egressus, si uirginem uicit, cingulo

C lumq; detraxit, si equos feroces cū domino interemit? Opera sunt ista fortis uiri, hominis tamen. Illa enim quæ uicit, fragilia & mortalia fuerūt. Nulla enim est ( ut ait Orato ) tanta uis, quæ nō ferro ac uiribus debilitari, frangiq; possit. At animū uincere, iracundiā cohibere, fortissimi est: quæ ille nec fecit unq; nec potuit. Hæc qui faciat, nō modò ego eum summis uiris comparo, sed similitimum Deo iudico. Vellem adiecisset de libidine, luxuriā, cupiditate, insolentia, ut uirtutē eius imple ret, quem similem Deo iudicabat. Non enim fortior iudicāndus est, qui leonem, q; qui uiolentiā, & in seipso inclusam feram superat iracundiam: aut qui rapacissi- mas uolucres deiecit, quā qui cupiditates auidissimas coercet: aut qui Amazonē bellatricem, quā qui libidinem uincit, pudoris ac famæ debellatricem: aut qui si- mum de stabulo, q; qui uitia de corde suo egerit: quæ magis sunt perniciofa, quia domestica & propria mala sunt, quā illa, quæ & uitari poterāt, & caueri. Ex quo fit, ut ille solus uir fortis debeat iudicari, qui temperās est, & moderatus, & iustus. Quod si cogitet aliquis quæ sint Dei opera, iam hæc omnia quæ mirantur homi- nes ineptissimi, ridicula iudicabit. Illa enim nō diuinis uirtutibus, quas ignorant, sed infirmitate suarum uirium metiuntur. Nam illud quidem nemo negauit, Her- culem non tantum Eurystheo seruisse regi, quod aliquatenus honestū uideri po- test, sed etiam impudicæ mulieri Omphale, quæ illum uestibus suis indutum se- dere ad pedes suos iubebat pensa facientē: detestabilis turpitudine, sed tanti erat uo- luptas. Quid tum, inquit aliquis, potēs ne credendū putas? Quidni putem? Nō enim ista Lucilius narrat, aut Lucianus, qui dijs & hominibus non pepercit, sed potissimū qui deorū laudes canebant. Quibus igitur credemus, si fidem laudan- tibus nō habemus? Qui hos mentiri putat, proferat alios quibus credamus auto- res, qui nos doceant, qui sint isti dij, quomodo, unde orti, quæ sit uis eorū, qui nu- merus, quæ potestas, quid in his admirabile, quid cultu dignum, quid deniq; cer- tius, ueriusq; mysteriū: nullus dabit. Credamus igitur istis, qui nō ut reprehende- rent, sunt locuti, sed ut prædicarēt. Nauigauit ergo cū Argonautis, expugnauitq; Troiam, iratus Laomedonti ob negatā sibi pro filiæ salute mercedem. Vnde quo tempore fuerit, apparet. Idem furore atq; infania percitus, uxorem suam cum libe- ris interemit: hunc homines deum putant. Sed Philoctetes eius hæres nō putauit, qui facem supposuit arfuro, qui artus suos & neruos cremari ac dissolui uidit, qui ossa eius ac cineres in Oeta mōte sepeliuit, pro quo munere sagittas eius accepit.

De Aesculapio, Apolline, Neptuno, ac Marte, & Castore, Pol-  
luce, atq; Mercurio. Cap. X.

Aesculapius



Esculapius & ipse non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud di- uinis honoribus dignum, nisi quod sanauit Hippolytum? mortem sa- ne habuit clariorē, quia à Deo meruit fulminari. Hunc Tarquiti- us de illustribus uiris differens, ait incertis parētibus natum, expositum, & à uenatoribus inuentum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didicisse medi- cinam: fuisse autem Messenium, sed Epidauri moratum: Tullius etiam Cynosuris urbe Arcadiæ ait sepultum. Quid Apollo pater eius? nōne ob amorem, quo fla- grabat, turpissime gregem pauit alienum, & muros Laomedonti extruxit, cum Neptuno mercede conductus, quæ illi negari potuit impune? ab eoq; primo rex perfidus, quicquid cum dijs pepigisset, didicit abnegare. Idem formosum puerū & dum amat, uiolauit: & dum ludit, occidit. Homicida Mars, & per gratiam cædis crimine ab Atheniensibus liberatus, ne uideretur nimis ferus & immanis, adul- terium cum Venere commisit. Castor & Pollux, dum alienas sponsas rapiūt, esse gemini deserunt: nam liuore iniuriæ concitatus Idas, alterum gladio transuerbe- rauit:

Apollo.

Mars.

Castor &  
Pollux.

**A** rauit: & eosdem poëta alternis uiuere, alternis mori narrant: ut iam sint nō deorū tantum, sed omnium mortaliū miserissimi, quibus semel mori non licet. Hos tamen Homerus ambos simpliciter (non ut poëta solent) mortuos esse testat. Nam quū faceret in muris assidentē Priamo Helenam cunctos Græciæ principes recognoscere, solos autem se fratres suos requirere, subiecit orationi huiusmodi uersum:

Ως φάτο, τὸν δὲ ἦδ' ἴδεν κατέχρη φροσίζῃ αἶα.

Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriā fraudū suarum? Cælo dignus, quia palæstram docuit, & lyram primus inuenit. Liberum patrem in senatu deorum summæ autoritatis, primæq; esse sententiæ necesse est: quia præter Iouem solus omnium triumphauit, exercitū duxit, Indos debellauit: sed inuictus ille Imperator, inclytus, maximus, ob amorē ac libidinem turpissime uictus est. Delatus enim Diā cum semiuiro comitatu, nactus est impudicam mulierem in littore, ac fiducia uictoriæ inclytæ uir esse uoluit, ne nimium mollis esse uideretur: atq; illam patris proditricem, fratris interempricem, ab alio relictam & repudiatā, in coniugiū sibi uendicauit, & liberam fecit, & cum ea pariter ascendit in cælum. Quid omniū horū pater Iupiter, qui in solenni preceatione Optimus Maximus nominatur? Nōne à prima sua pueritia impius, ac penē paricida deprehenditur? quum patrem regno expulit ac fugauit, nec expectauit mortē decrepiti senis, cupiditate regnandī. Et quum paternum solium per uim, per arma cepisset, bello est à Titanibus laceffitus, quod humano generi principium fuit malorum: quibus uictis, & pace in perpetuum comparata, reliquam suam uitam in stupris adulterijsq; consumpsit. Omitto uirgines quas imminuit: id enim iudicari solet tolerabile. Amphytrionem ac Tyndarum præterire non possum, quorum

Mercurius.  
Liberi patris  
gesta.

Iouis impietas.

**B** domos dedecore atque infamia plenissimas reddidit. Illud uero summæ impietatis ac sceleris, quod regium puerum rapuit ad stuprum: parum enim uidebatur, si in expugnanda foeminarum pudicitia maculosus ac turpis esset, nisi etiam sexui suo iniuriā faceret: hoc est uerū adulteriū, quod fit cōtra naturā. Hęc qui fecit, uiderimus an maximus, certe optimus nō est: quod nomen à corruptoribus, ab adulteris, ab incestis abest: nisi forte nos erramus homines, qui talia faciētes sceleratos uocamus ac perditos, omnibusq; pœnis dignissimos iudicamus. Stultus autē M. Tullius, qui C. Verri adulteria obiecit. Eadē enim Iupiter quē colebat, admisit. Qui P. Clodio sororis incestum. At illi optimo maximo eadem fuit & soror & coniunx.

Ganymedes à  
Ioue raptus.

De ipsius Iouis parentibus, & ortu, & uita eius flagitiosissima, morte,  
& sepultura, & officio poëtarum. Cap. XI.



Vis est igitur tam excors, qui hūc in cælo regnare putet, qui ne in terra quidem debuit. Non insulse quidam poëta triumphum Cupidinis scripsit: quo in libro non modò potentissimū deorum Cupidinem, sed etiam uictorem facit. Enumeratis enim amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis, ditionemq; uenissent, instruit pompam, in qua Iupiter cum cæteris dijs ante currum triumphantis ducitur catenatus. Eleganter id quidem dicitur à poëta figuratum, sed tamen nō multum distat à uero. Qui enim uirtutis est expers, qui cupiditatibus ac libidinibus malis uincitur, non Cupidini (ut ille finxit) sed morti subiectus est sempiternæ. Sed omittamus de moribus dicere, rem consideremus, ut intelligant homines, in quibus miseri uersentur erroribus. Regnare in cælo Iouem uulgus existimat, id doctis pariter & indoctis persuasum est, quod & religio ipsa, et preceationes, & hymni, & delubra, & simulacra demonstrant: eundem tamen Saturno & Rheā genitum confitentur. Quomodo potest Deus uideri, aut (ut ait poëta) hominum rerumq; repertor, ante cuius ortum in-

Cupidinis tria  
umphus.

C finita hominum millia fuerunt: eorum scilicet, qui Saturno regnante uixerunt, ac priores luce quam Iupiter sunt potuit. Video alium deum regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus. Potest ergo fieri, ut alius sit postea futurus. Si enim regnum prius mutatum est, cur desperemus & posterius posse mutari: nisi forte Saturnus generare potuit fortiolem, Iupiter non potest. Atqui diuinum imperium, aut semper immutabile est: aut si est mutabile, quod fieri non potest, semper utique mutabile est. Potuit enim Iupiter regnum amittere, sicut & pater eius amisit. Ita plane: nam quum idem neque uirginibus, neque maritatis unquam pepercisset, & abstinenti se tantum una Thetide, quod responsum fuit maiorem patre suo futurum, quisquis ex illa natus esset: et primum in eo prudentia non Dei, cui nisi Themis futura dixisset, ipse nesciret. Si autem diuinus non sit, ne Deus quidem sit, unde ipsa diuinitas nominatur, ut ab homine humanitas. Deinde conscientia imbecillitatis, timuit utique maiorem: Quod qui fecit, scit utique profecto non esse se maximum: quandoquidem potest aliquid maius existere. Idem per stygiam paludem sanctissime iurat:

Vna superstitio superis quae reddita diuis.

Quae est ista superstitio: aut a quo reddita est? Ergo aliqua potestas maxima est, quae peierantes deos puniat: quae tanta formido est paludis infernae, si sunt immortales: quid metuunt eam, quam uisuri non sunt, nisi quos mori necesse est? Quid igitur homines oculos suos in caelum tollunt: quid per superos deierant, quum ipsi superi ad infernos deuoluantur, ibique habeant quod uenerentur & adorent? Illud uero quale est, esse fata, quibus dii omnes & ipse Iupiter pareat: si Parcarum tanta uis est, ut plus possint quam coelestes uniuersi, quamque ipse rector ac dominus, cur non illae potius regnare dicantur, quarum legibus ac statutis parere omnes

D deos necessitas cogit? Nunc cui dubium est, quin is qui alicui rei obsequitur, maximus non sit: nam si sit, non accipiat fata, sed faciat. Nunc ad illud quod omiseram, redeo. In una utique sola fuit continentior, quum eam deperiret, & non uirtute aliqua, sed metu successoris. Quae fortitudo utique eius est, qui sit mortalis & imbecillus, & nihil: quippe qui potuit & tunc quum nasceretur, extingui, sicut frater eius ante genitus extinctus est: qui si uiuere potuisset, nunquam minori concessisset imperium. Ipse autem furto seruatus, furumque nutritus, Zeus siue Ζεύς appellatus est, non ut isti putant, a seruore coelestis ignis, uel quod uitae sit dator, uel quod animantibus inspiret animas: quae uirtus solius dei est, (quam enim possit inspirare animam, qui ipse accipit aliunde?) sed quod primus ex liberis Saturni maribus uixerit. Potuerunt igitur homines alium deum habere rectorem, si Saturnus non fuisset ab uxore delusus: At enim poetae ita finxerunt. Errat quisquis hoc putat. Illi enim de hominibus loquebantur: sed ut eos ornarent, quorum memoriam laudibus celebrabant, deos esse dixerunt. Itaque illa potius ficta sunt, quae tanquam de diis, non illa quae tanquam de hominibus locuti sunt, quod clarum fiet exemplo, quod inferemus. Danaem uiolaturus Iupiter, aureos nummos largiter in sinu eius infudit. Haec stupri merces fuit. At poetae, qui quasi de deo loquebantur, ne autoritatem creditae maiestatis infringent, finxerunt ipsum in aureo imbri delapsum: eadem figura, qua imbres ferreos dicunt, quum multitudinem telorum, sagittarumque describunt. Rapuisse dicitur in aquila Catamitum: poetica color est: sed aut per legionem rapuit, cuius insigne aquila est: aut nauis in qua est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam: sicut taurum figuratum, quum rapuit & transuexit Europam. Eodem modo conuertisse in bouem traditur Io Inachi filiam: quae, ut iram Iunonis effugeret, ut erat iam fetis obsita, iam bos transisse dicitur mare, in Aegyptumque uenisse, atque ibi recepta pristina forma, dea facta, quae nunc Isis uocatur. Quo igitur argumento proba

ri po

†prouidencia

Fatis parendū

Iupiter cur  
Zeus.

Danaës fabula

Ganymedes et  
Europa rapti.

Io in bouem.

**A**ri potest, nec Europam in tauro sedisse, nec Io factam bouem: quod certus dies habetur in fastis, quo Iſidis nauigium celebratur: quæ res docet non tranſiſſe illam, ſed nauigaſſe. Igitur qui ſapere ſibi uidentur, quia intelligunt uiuum, terrenumq; corpus in cœlo eſſe nō poſſe, totam Ganymedeam fabulam pro falſo repudiant, nec ſentiunt in terra id eſſe factum: quia res ac libido ipſa terrena eſt. Non ergo res ipſas geſtas ſinxerunt poëtæ: quod ſi facerent, eſſent uaniſſimi: ſed rebus geſtis addiderunt quendā colorem. Non enim obtrectantes illa dicebant, ſed ornare cupientes. Hinc homines decipiunt, maxime dum hæc omnia ficta eſſe arbitrantur à poëtis: colunt quod ignorant, neſciunt qui ſit poëtica licentiæ modus, quo uſq; progredi fingendo liceat: quum officiū poëtæ ſit in eo, ut ea quæ geſta ſunt uere, in aliquas ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo conuerſa, traducant. Totum autem quod referam fingere, id eſt ineptum eſſe, & mendacē potius quàm poëtam: ſed ſinxerunt iſta quæ fabuloſa creduntur. Num etiā illa, quæ de dijs ſceminis, deorumq; connubijs dicta ſunt: Cur igitur ſic figurantur, ſic conſuntur: niſi forte nō tantum poëtæ, ſed & pictores fictoresq; imaginum mentuntur: Si enim hic Iupiter, qui à uobis dicitur deus, nō is eſt, qui ex Saturno & Oponeatus eſt, non oportuit niſi ſolus ſimulacrum in templis omnibus collocari. Quid ſibi mulierū effigies uolunt: quid ſexus infirmus: in quem ſi cecidit ipſe Iupiter, tum uero ipſi lapides hominem fatebuntur. Mentitos aiunt eſſe poëtæ, & his tamen credunt: imò uero non eſſe mentitos, re ipſa probant. Ita enim deorum ſimulacra conſingunt, ut ex ipſa diuerſitate ſexus appareat uera eſſe quæ dicunt poëtæ. Nam quod aliud argumentum habet imago Catamiti, & effigies aquilæ, quæ ante pedes Iouis ponuntur in templis, & cum ipſo pariter adorantur, niſi ut nefandi ſcleris ac ſupri memoria maneat in æternum: Non igitur à poëtis totum fictū eſt: aliquid fortaiſſe traductum, & obliqua figuratione obſcuratū, quo ueritas inuoluta tegetur: ſicut illud de ſortitione regnorū. Aiunt enim Ioui cœlum obtiſſe, Neptuno mare, inferna Plutoni: cur non terra potius in ſortem tertiam uenit: niſi quod in terra geſta res eſt. Ergo illud in uero eſt, quod regnum orbis ita partiti ſortitiq; ſunt, ut orientis imperiū Ioui cederet: Plutoni, cui cognomen Ageſilao fuit, pars occidentis obtingeret: eo quod plaga orientis, ex qua lux mortalibus datur, ſuperior, occidentis autem inferior eſſe uideatur. Sic ueritatem mendacio uelauerunt, ut ueritas ipſa perſuaſioni publicæ nihil derogaret. De Neptuni ſorte manifeſtum eſt, cuius regnum tale fuiſſe dicimus, quale M. Antoni fuit inſinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ poteſtatem ſenatus decreuerat, ut prædones perſequeretur, ac mare omne pacaret. Sic Neptuno maritima omnia cum inſulis obuenerunt. Quomodo id probari poteſt: Nimirum ueteres hiſtorige docent. Antiquus autor Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Meſſana, res geſtas Iouis & cæterorum qui dij putantur, collegit, hiſtoriamq; contexuit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebant, maximeq; in fano Iouis Triphylj, ubi aureā columnā poſitam eſſe ab ipſo Ioue, titulus indicabat: in qua columna geſta ſua perſcripſit, ut monumenta eſſent poſteris rerum ſuarum. Hanc hiſtoriam interpretatus eſt Ennius, & ſecutus, cuius hæc uerba ſunt: Iupiter imperium Neptuno dat maris, ut inſulis omnibus, & quæ loca ſunt ſecus mare omnibus regnaret. Vera ſunt ergo quæ loquuntur poëtæ, ſed obtentu aliquo ſpecieq; uelata. Poſt & mons Olympus figuram poëtis dediſſe, ut Iouem dicerent cœli regnum eſſe ſortitum, quod Olympus ambiguum nomen eſt, & montis & cœli. In Olympo autem Iouem habitari docet hiſtoria eadem, quæ dicit: Eadem tempeſtate Iupiter in monte Olympo maximam partem uitæ colebat, & eò ad eum

Officiū poëtæ.

Sortitio regnorum mundi.

Neptuno ceſſio mare.

Iupiter olympi rector.

Poëtarum fictions.

Iouis nomen deo summo non tribuendum.

Iouis obitus.

Tenuerari

C in ius ueniebant, si quæ res in controuersia erant. Item si quis quid noui inuenerat, quod ad uitam humanam utile esset, eò ueniebat, atq; Ioui ostendebat. Multa in hunc modum poëtae transferunt, non ut in deos mentiantur, quos colunt, sed ut figuris uersicoloribus uenustatem ac leporem carminibus suis addant. Qui autem non intelligunt quo modo, aut quare quicquam figuretur, poëtas uelut mendaces & sacrilegos insequuntur. Hoc errore decepti & philosophi, quod ea, quæ de Ioue feruntur, minime in deum conuenire uidebantur, duos Ioues fecerunt, unum naturalem, alterum fabulosum. Viderunt ex parte, quod erat uerum: eum scilicet de quo poëtae loquuntur, hominem fuisse. In illo autem naturali Ioue, uulgaris consuetudine religionis inducti, errauerunt, quod in deum nomen hominis transferunt: qui (ut supra diximus) quia solus est, non indiget nomine. Iouem autem illum esse, qui sit ex Ope Saturnoq; natus, negari non potest. Vana igitur persuasio est eorum, qui nomen Iouis summo deo tribuunt. Solent enim quidam errores suos hac excusatione defendere, qui conuicti de uno deo, quum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant. Verum hoc sibi placere, ut Iupiter nominetur: quo quid absurdius? Iupiter enim sine contubernio coniugis filiaeq; coli non solet. Vnde quid sit, apparet: nec fas est id nomen eò transferri, ubi nec Minerva est ulla, nec Iuno. Quid, quod huius nominis proprietas non diuinam uim exprimit, sed humanam? Iouem enim, Iunonemq; à iuuando esse dictos Cicero interpretatur. Et Iupiter quasi iuuans pater dicitur: quod nomen in deum minime congruit: quia iuuare hominis est, opis aliquid conferentis in eum, qui sit alienus & exigui beneficij. Nemo sic deum precatur, ut se adiuuet: sed ut seruet, ut uitam salutemq; tribuat: quod multo plus ac maius est quam iuuare. Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur filios iuuare, quum eos generat aut educat. Illud enim leuius est, quam ut eo uerbo magnitudo paterni beneficij exprimatur. Quamto id magis incoueniens est deo, qui uerus est pater, per quem sumus, & cuius toti sumus, à quo fingimur, animamur, illuminamur: qui nobis uitam impertit, salutem tribuit, uictum multiplicem subministrat. Non intelligit beneficia diuina, qui se iuuari tantummodo à deo putat. Ergo non imperitus modò, sed etiam impius est, qui nomine Iouis uirtutem summam potestatis imminuit. Quare si Iouem ex rebus gestis & ex moribus hominem fuisse, in terraq; regnasse deprehendimus: superest, ut mortem quoq; eius inuestigemus. Ennius in sacra historia, descriptis omnibus, quæ in uita sua gessit, ad ultimum sic ait: Deinde Iupiter postquam terram quinquies circueiuit, omnibusq; amicis atq; cognatis suis imperium diuisit, reliquitq; hominibus leges, mores, frumentaq; parauit, multaq; alia bona fecit, immortalis gloria memoriaq; affectus, sempiterna monumenta suis reliquit, ætate pessumata in Creta, uitam commutauit, & ad deos abiit, eumq; Curetes filij sui curauerunt, decoraueruntq; eum. Et sepulchrum eius est in Creta, in oppido Gnosò: & dicitur Vesta hanc urbem creauisse. In qua sepulchro eius est inscriptum antiquis literis graecis, ὁ θεὸς τῶν κροῖων, id est latine, Iupiter Saturni filius. Hoc certe non poëtae tradunt, sed antiquarum rerum scriptores: quæ adeò uera sunt, ut ea Sibyllinis uersibus confirmant, qui sunt tales:

δαίμονας ἀψύχους νεκῶν εἰδῶλα καμόντων  
ὦν κρήτη καύχημα τείφους ἢ δύσμορος ἔχει.

Cicero de natura deorum, quum tres Ioues à theologis nominari diceret, ait tertium fuisse Cretensem Saturni filium: cuius in illa insula sepulchrum ostenditur. Quomodo igitur potest deus alibi esse uiuus, alibi mortuus: alibi habere templum, alibi sepulchrum? Sciant ergo Romani Capitolium suum, id est summum caput religionum suarum publicarum, nihil esse aliud quam inane monumentum. Veniamus



**A**mus nunc ad eius patrē, qui ante regnauit, & qui fortasse plus habebat in se, quod ex coitu tantorum elementorū genitus esse dicatur. Videamus quid in eo fuerit deo dignum. In primis illud, quod aureū seculum narratur habuisse, quod iustitia sub eo fuerit in terra. Teneo aliquid in eo, quod in eius filio nō fuit. Quid enim tam conueniens deo, quam iustum regimē, ac pium seculum? Sed quum eadem ratione natum esse cogito, non possum putare deum summū, quod uideam esse aliquid antiquius, cœlum scilicet atq; terrā. At ego deum quæro, ultra quem nihil est omnino, qui fons & origo sit rerū. Hic sit necesse est, qui cœlum ipsū condidit, terramq; fundauit. Saturnus autem, si ex his natus est (ut putatur) quemadmodum potest deus esse principalis, qui alijs ortum suum debet? Aut quis præsuit mundo antequā Saturnus gigneretur? Sed hoc poëticū est (ut dicebam paulo ante) figmentū: nec enim fieri poterat, ut elementa insensibilia, tantoq; interuallo separata, in unum coirent, ac filium procrearēt: aut is qui natus esset, non potissimum genitoribus similis existeret, sed eam formā gereret, quam parentes sui non habebant. Quæramus ergo, quid ueritatis sub hac figura lateat. Minutius Felix in eo libro, qui Octauius inscribit, sic argumentatus est: Saturnū, quum fugatus esset à filio, in Italiāq; uenisset, cœli filium dictum: quod soleamus eos, quorum uirtutē miremur, aut eos qui repentine aduenerint, de cœlo cecidisse dicere: Terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. Sunt hæc quiddam similia uerū, non tamen uera: quia cōstat etiam tunc, quū regnaret, ita esse habitum. Potuit & sic argumentari: Saturnū, quū potentissimus rex esset, ad retinendam parentū suorū memoriā, nomina eorū cœlo terræq; indidisse, quum hæc prius alijs uocabulis appellarentur: qua ratione & montibus & fluminibus nomina sunt imposita. Neq; enim quū dicunt poëtæ de progenie Atlantis, aut Inachi fluminis, id potissimū dicunt, homines ex rebus sensu carentibus potuisse generari: sed eos utiq; significāt, qui nati sunt ex ijs hominibus, qui uel uiui uel mortui nomina montibus aut fluminibus indiderunt. Nam id apud ueteres, maximeq; Græcos usitatum fuit. Sic maria eorū traxisse nomina accepimus, qui deciderant in ea: ut Aegæum, Icarium, Helleponticū: & in Latio Auentinus uocabulū monti dedit, in quo sepultus est, Tyberinus uel Tyberis amni, in quo mersus est. Nō ergo mirandū, si nomina eorum cœlo terræq; attributa essent, qui reges genuerant potentissimos. Apparet ergo nō e cœlo natū esse, quod fieri non potest, sed ex eo homine, cui nomen Vrano fuit: quod esse uerū Trismegistus autor est: qui quū diceret admodū paucos extitisse, in quibus esset perfecta doctrina, in his Vranum, Saturnū, Mercuriū cognatos suos nominauit. Hæc ille quia ignorauit, aliò traduxit historiā, qui quoniā quo modo potuerit argumentari, ostendi: nunc dicam quomodo, ubi, à quo sit hoc dictum: non enim Saturnus hoc, sed Iupiter fecit. In sacra historia sic Ennius tradit: Deinde Panem deducit in montē, qui uocatur Cœli stella: postquam eò ascendit, cōtemplatus est late terras: ibiq; in eo monte aram creat cœlo. Primusq; in ea ara Iupiter sacrificauit: in eo loco suspexit in cœlū, quod *oupe rōs* nominatur: idq; quod supra mundum erat, quod æther uocatur, de sui aui nomine cœlo nomen indidit, idq; Iupiter, quod æther uocatur placans, primum cœlum nominauit, eamq; hostiam quam ibi sacrauit, totam adoleuit. Nec hic tantum sacrificasse Iupiter inuenitur. Cæsar quoq; in Arato refert, Aglaosthenem dicere, Iouem quū ex insula Naxo aduersus Titanas proficisceretur, & sacrificiū faceret in littore, aquilam ei in auspiciū aduolasse, quam uictor bono omine acceptam tutelæ suæ subiugarit. Sacra uero historia, & ante cōsedisse illi aquilam in capite, atque illi regnum portendisse testatur. Cui ergo sacrificare Iupiter potuit, nisi Cœlo

Saturnus quis  
& unde.

Cœli & terræ  
filij qui dicantur.

Creat pro ædi  
ficat.  
Ara omnium  
prima.

C auo, quem dicit Euhemerus in Oceano mortuū, & in oppido Aulatia sepultum.

Quomodo Stoici fragmenta poetarū ad philosophicam transferant rationem. Cap. XII



Saturni impietas.

NONIAM reuelauimus mysteria poetarum, & Saturni parentes inuenimus, ad uirtutes eius & facta redeamus. Iustus in regno fuit: primum ex hoc ipso iam deus nō est, quod fuit. Denique quod ne iustus quidem fuit, sed impius nō modō in filios, quos necauit, uerū etiam in patrem, cui dicitur abscidisse genitalia, quod forsitan uere acciderit. Sed homines respectu elementi, quod dicitur cœlum, totam fabulā explodūt tanquā ineptissime fictam: quam tamen Stoici ( ut solent ) ad rationem physicā conantur traducere: quorum sententiam Cicero de natura deorum differens, posuit: Cœlestem, inquit, altissimam, ætheriamque naturam, id est igneam, quæ per sese omnia gigneret, uacare uoluerunt ea parte corporis, quæ cōiunctione alterius egeret ad procreandum: quæ ratio in Vestam potuit cōuenire, si mas diceretur. Idcirco enim uirginem putant Vestam, quia ignis inuolabile sit elementū, nihilque nasci possit ex eo: quippe qui omnia quæ arripuerit, absumat. Ouidius in Fastis:

Vesta uirgo.

Nec tu aliud Vestam quàm uiuam intellige flammam,

Nataque de flamma corpora nulla uides.

Iure igitur uirgo est, quæ semina nulla remittit,

Nec capit, & comites uirginitatis amat.

Sol causa omnium que gignuntur.

ifotu

D

Vulcano quoque id potuit adscribi, qui quidē putatur ignis, & tamen poetæ nō assenserūt. Potuit & Soli, in quo est natura & causa gignentium: nam sine Solis igneo calore neque nasci quicquam, neque augeri potest: ut nulli elemento magis opus sit genitalibus, quàm calor: cuius fœtu concipiuntur, nascunt, sustentantur omnia. Postremo etiam, si ita sit ut uolunt, qui magis abscissum esse cœlum putet, quàm omnino sine genitalibus natum: Nam si per se gignit, non indigebat utique genitalibus, quum Saturnū ipsum procrearet. Si uero habuit, & à filio abscissa sunt, ortus rerum & natura omnis interisset. Quid, quod ipsi Saturno non diuinum modō sensum, sed humanum quoque adimunt: quum affirmant esse eum Saturnum, qui cursum & conuersionem spaciōrum & temporum continet, eumque græce id ipsum nomen habere: χρόνος enim dicitur, quod est idem quod χρόνος, id est spaciūm temporis. Saturnus enim est appellatus, quod saturetur annis. Hæc Cicero nis uerba sunt exponentis sententiā Stoicorum, quæ quàm uana sit, cuius intel ligere promptissimū est. Si enim Saturnus cœli est filius, quomodo potuit aut tempus à cœlo gigni, aut cœlum à tempore abscidi, aut postea tempus imperio spoliari à filio Ioue? Aut quomodo Iupiter natus est ex tempore, aut quibus annis saturari possit æternitas, cui nullus est finis?

Quomodo poetæ & historici Stoicorum interpretationes de Ioue & Saturno & alijs dijs uanas & inanes ostendant. Cap. XIII



Saturnus filios necauit.

ERGO uanæ sunt istæ rationes philosophorū, quid superest nisi ut uere factum esse credamus, id est hominem ab homine abscissum: nisi forte aliquis existimet deum fuisse, qui timuit cohæredē: quum si quid diuinitatis habuisset, nō patris genitalia debuerit amputare, sed propria, ne Iupiter nasceretur, qui eum regni possessione priuauit. Idem sororē suam Rheam, quam latine Opem dicimus, quum haberet uxorē, responso uetitus esse dicitur mares liberos educare, quod futurū esset ut à filio pelleretur. Quam rem metuens, natos sibi filios nō utique deuorabat ( ut ferunt fabulæ ) sed necabat: quam scriptum sit in historia sacra, Saturnum & Opem, ceterosque tunc homines humanam carnem solitos esitare: uerum primū Iouem leges hominibus moresque condentem

**A** cōdentem, edicto prohibuisse, ne liceret eo cibo uesci. Quod si uerum est, quæ potest in eo fuisse iustitia? Sed fictum sanè putemus, Saturnum filios deuorasse, modo cum aliqua ratione. Nunc idcirco, quod ait uulgus, comedisse filios suos eum, qui extulerit, sepulturæq; mandauerit: Ops autem quū Iouem peperisset, subtraxit infantem, eumq; nutriendū furtim misit in Cretam: Rursum imprudentiam reprehendam necesse est. Cur enim responsum ab alio potius accepit? Cur in cœlo cōstitutus, quæ gerebant in terra non uidebat: Cur eum Corybantes cymbalis fellerūt? Postremo cur extitit aliqua uis potētior aut maior, quæ illius uinceret potestatem: Nimirū senex à iuuenē facile uictus est, ac spoliatus imperio, fugit expul-

Saturnus à Ioue regno pulsus in Latium uenit.

Causa ratis superest, Thuscum rate uenit ad amnem,

Antē pererrato falcifer orbe deus.

Hunc errantē atq; inopem Ianus excepit: cuius rei argumēta sunt nūmi ueteres, in quibus est cū duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis, sicut idē poëta subiecit:

At bona posteritas puppim formauit in ære,

Hospitis aduentum testificata dei.

Omnes ergo non tantum poëta, sed historiæ quoq; ac rerum antiquarū scriptores, hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriæ prodiderunt: Græci, Diodorus, & Thallus: Latini, Nepos, & Cassius, & Varro. Nam quum agresti quodam more in Italia uiueretur,

Is genus indocile, ac dispersum montibus altis

Composuit, legesq; dedit, Latiumq; uocari

Maluit, his quoniam tutus latuisset in oris.

**B** Censet ne aliq; deū esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit? Nemo tam stultus est: qui enim fugit aut latet, & uim & mortē timeat necesse est. Orpheus, q̄ tēporibus eius recētior fuit, aperte Saturnū in terra, & apud homines regnasse cōmemorat:

Ἠρώτις ὁ μὲν ἀναστει ἐπιχθονίωυ κρόνῳ ἀνδρῶν,

ἐκ δὲ κρόνος ἤγειτ' αὐτὸς ἀναξ' μέγας εὐρύστω βασις.

Aureus hanc uitam in terris Saturnus agebat.

Item Maro noster:

Et alio loco:

Aureaq; (ut perhibent) illo sub rege fuere

Secula, sic placida populos in pace regebat.

Neq; superius dixit in cœlo egisse uitam, neque inferius superos in pace rexisse,

Vnde apparet illum regem fuisse terrenum; quod alibi apertius declarat:

Aurea condet

Secula qui rursus Latio, regnata per arua

Saturno quondam.

Ennius quidem in Euhemero nō primū dicit regnasse Saturnū, sed Vranū patrē. Initio, inquit, primus in terris imperiū summū Vranus habuit: is id regnum unā cum fratribus suis instituit, atq; parauit. Non magna dissensio, si quidē maximorū autorum de filio ac patre dubitatio est, sed tamen utrūq; fieri potest, ut & primus Vranus eminere inter cæteros potentia cœperit, & principatum habere non regnum, postea Saturnus maiores sibi opes cōparauerit, ac regiū nomen asciuerit.

Quid idem Ennius docet in sacra historia.

Cap. XIII

**N**unc quoniam ab ijs, quæ retulimus, aliquantulū sacra historia dissentit, aperiāmus ea, quæ ueris literis continentur, ne poëtarū ineptias in accusandis religionibus, sequi ac probare uideamur. Hæc Ennij uerba sunt: Exin Saturnus uxore duxit Opem. Titan, q̄ maior natu erat, postulat ut ipse regnaret: ibi Vesta mater eorum, & sorores Ceres atque Ops sua-

**C** dent Saturno, ut de regno non cōcedat fratri. Ibi Titan, qui facere deterior esset q̄ Saturnus, idcirco & quod uidebat matrē atq; sorores suas operam dare, ut Saturnus regnaret, cōcessit ei ut is regnaret. Itaq; pactus est cum Saturno, uti si quid liberorū uirilī sexus ei natū esset, ne quē educaret: id eius rei causa fecit, uti ad suos gnatos regnū rediret. Tum Saturno filius qui primus natus est, eum necauerunt. Deinde posterius nati sunt gemini Iupiter atque Iuno. Tum Iunonem Saturno in conspectum dedere, atq; Iouem clam abscondunt, dantq; eum Vestæ educandū, celantes Saturnum. Item Neptunum clam Saturno Ops parit, eumq; clanculum abscondit. Ad eundem modū tertio partu Ops parit geminos Plutonē & Glaucam. Plutonē latine est Diespiter, alij Orcum dicunt. Ibi Glaucam filiam Saturno ostendunt, ac filium Plutonē celant atq; abscondunt. Deinde Glauca parua emoritur. Hæc (ut scripta sunt) Iouis fratrumq; eius stirps atq; cognatio, in hunc modum nobis ex sacra scripture tradita est. Item paulo post hæc refert: Deinde Titan, postquam rescit Saturno filios procreatos, atque educatos esse, clam seducit secum filios suos, qui Titani uocantur, fratremq; suum Saturnū, atq; Opem comprehendit, eosq; muro circumegit, & custodiam his apponit. Hæc historia quam uera sit, docet Sibylla Erythræa, eadē ferē dicens, nisi quod in paucis, quæ ad rem non pertinent, discrepat. Iupiter ergo liberatur summi sceleris crimine, quod patrem uinxisse compedibus perhibetur. Id enim Titan patruus fecit, quod ille contra pactionem iusq; iurandum mares liberos sustulisset. Reliqua historia sic contextitur: Iouem adultū, quum audiisset patrem atque matrem custodijs circumseptos, atq; in uincula coniectos, uenisse cum magna Cretensium multitudīne, Titanumq; ac filios eius pugnādo uicisse, parentes uinculis exemisse, patri regnum reddidisse, atq; ita in Cretam remeasse: Post hæc deinde Saturno datam sortem, ut caueret, ne filius eum regno expelleret: illum eleuandæ fortis, atq; effugiendi periculi gratia insidiatū Ioui, ut eum necaret: Iouem cognitis insidijs regnum sibi de nouo uendicasse, ac fugasse Saturnum: qui quum iactatus esset per omnes terras, persequentibus armatis, quos ad eum cōprehendendum uel necandum Iupiter miserat, uix in Italia locum, in quo lateret, inuenit.

**D** Saturnus cur à Ioue fugatus.

Titani.

Qui filij Saturno nati.

Qua ratione homines dij cœperint nominari.

Cap. XV.



Vibus ex rebus quum constet illos homines fuisse, non est obscurum qua ratione dij cœperint nominari. Si enim nulli reges ante Saturnū, uel Uranum fuerunt propter hominū raritatem, qui agrestem uitam sine ullo rectore uiuebant, non est dubium, quin illis temporibus homines regem ipsum, totamq; gentem summis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint, ut etiam deos appellarent, siue ob miraculum uirtutis (hoc uere putabant rudes adhuc & simplices) siue (ut fieri solet) in adulationem presentis potentiae, siue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi reges, quum chari fuissent ijs, quorum uitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaq; homines eorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium: progressiq; longius per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœperunt, ut & gratiam referre benemeritis uiderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem. Quod Cicero de natura deorum docet, dicens: Suscepit autem uita hominum, consuetudōque communis, ut beneficijs excellentes uiros, in cœlum fama ac uoluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber. Et alio loco atq; alio in plerisq; ciuitatibus intelligi potest, ac uendae uirtutis gratia, aut quo libentius Reipublicæ causa periculum adiret optimus quisq;

**A** quisq; uirorum fortium memoriã honore deorum immortalium consecratam. Hac scilicet ratione Romani Casares suos consecrauerunt, & Mauri reges suos. Sic paulatim religiones esse cœpere, dum illi primi, qui eos nouerant, eo ritu suos liberos ac nepotes, deinde omnes posteros imbuerunt. Et hi tamen summi reges ob celebritatē nominis in prouincijs omnibus colebantur. Priuatim uero singuli populū, gentis aut urbis conditores, seu uiri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summa ueneratione coluerunt, ut Aegyptij Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sangum, Romani Quirinum. Eodem utiq; modo Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sic per populos atque regiones uaria sacra suscepta sunt, dum grati homines esse in suos principes cupiunt: & quod alios honores, quos uita carentibus defera nt, inuenire non possunt. Præterea pietas eorum, qui successerant, plurimum contulit ad errorē: qui ut diuina stirpe nati uiderentur, diuinos honores parentibus detulerunt, deferriq; iusserunt. An ne potest aliquis dubitare, quomodo religiones deorū sint institutæ: quum apud Maronem legat Aeneæ uerba socijs imperantis:

Nunc pateras libate loui, precibusq; uocate

Anchisen genitorem.

Cui non tantum immortalitatem, uerum etiã uentorum tribuit potestatem:

Poscamus uentos, atque hæc mea sacra quotannis

Urbe uelit posita templis sibi ferre dicatis.

Idem scilicet de Ioue Liber, & Pan, & Mercurius, & Apollo fecerunt: ac postea de his ipsis successores eorum. Accesserunt etiã poëtæ, & compositis ad uoluntatem carminibus, in cœlum eos sustulerunt: sicut faciunt qui apud reges etiã

**B** malos, panegyricis mendacibus adulantur. Quod malū à Græcis ortum est, quorum leuitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est, quantas mendaciorum nebulas excitauerit. Itaq; admirati eos, & susceperūt primi sacra illorū, & uni uersis gentibus tradiderunt. Ob hanc uanitatem Sibylla sic eos increpat:

Græcorum leuitas.

Ἑλλὰς δ' ἢ πὶ πείποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἠγεμόνεοσι;  
πῶς πὶ δὲ δῶρα μάττια καὶ ταφθιμύλοισ ἀνατίθης;  
θύεις ἐδῶλοισ τίς πῖ πλάνω βάλειν γνῶ,  
ὥς τίς τε πῶς ποιῆμ μεγάλοιο θεοῖο προσώπῃ  
λαπιμύλοισ;

M. Tullius, qui non tantum perfectus orator, sed philosophus fuit, siquidem solus extitit Platonis imitator, in eo libro, quo seipsum de morte filix consolatus est, non dubitauit dicere deos, qui publicæ colerentur, homines fuisse. Quod ipsius testimonium eo debet grauissimum iudicari, quod & augurale habuit sacerdotiū, & eosdem se colere uenerariq; testatur. Itaq; intra paucos uersiculos, duas res nobis dedit. Nam dum imaginem filix eodem se modo consecraturum esse profiteretur, quo illi à ueteribus sunt consecrati: & illos mortuos esse docuit, & originē uanæ superstitionis ostendit. Quum uero, inquit, & mares & fœminas complures ex hominibus in deorū numero esse uideamus, et eorum in urbibus atq; agris augustissima delubra ueneremur: assentiamur eorū sapientix, quorū ingenijs & inuentis omnē uitā legibus & institutis excultā constitutāq; habemus. Quod si uolum unq; animal cōsecrandū fuit, illud profecto fuit: si Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut Tyndari in cœlū tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicendus est: quod quidē faciā: teq; omniū optimā doctissimāq; approbātibus dijs immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatā, ad opinionē omniū mortaliū consecrabo.

† Amphionis  
Tulliolam con  
secrare Cicero  
statuit.

**C** Fortasse dicat aliquis, pro nimio luctu delirasse Ciceronem: atqui omnis illa oratio, & doctrina, & exemplis, & ipso loquendi genere perfecta, non ægri, sed constantis animi ac iudicij fuit. Et hæc ipsa sententia nullum præfert indicium doloris; Neque enim puto illum tam uarie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum eius & ratio ipsa, & cōsolatio amicorū, & temporis longitudo mitigasset. Quid, quod idem dicit in libris de Republica: idem de gloria: Nam de legibus, quo in opere Platonem secutus est, leges uoluit ponere, quibus putaret usuram esse iustam, & sapientem ciuitatem: de religione ita sanxit: Diuos, & eos qui cœlestes semper habiti sunt, colunto: & illos, quos in cœlo merita locauerunt, Hercule, Liberum, Aesculapium, Pollucem, Castorem, Quirinū. Item in Tusculanis quum diceret, totum penè cœlum humano genere completū: Si uoluerō (inquit) scrutari uetera, & ex illis ea, quæ scriptores Græciæ prodiderunt, eruere conerit ipsi illi maiorum gentium dii qui habentur, hinc à nobis profecti in cœlum, reperientur. Quare quorum demonstrantur sepulchra in Græciā: reminiscere, quoniam es initiatus, quæ traduntur mysterijs. Tum deniq; quàm hoc late pateat, intelliges. Testatus est uidelicet, Attici conscientiam ex ipsis mysterijs intelligi posse, quod omnes illi homines fuerunt, qui coluntur: & de Hercule, Libero, Aesculapio, Castore, Polluce incunctanter fatentur: de Apolline ac Ioue patribus eorum, item de Neptuno, Vulcano, Marte, Mercurio, quos maiorū gentium deos appellauit, timuit aperte confiteri. Et idcirco ait, late hoc patere, ut idem de Ioue, cæterisq; antiquioribus dijs intelligamus: quorum memoriam si eadem ratione ueteres consecrauerunt, qua se imaginem nomenq; filiarū consecraturum esse dicit, ignosci mœrentibus potest, credentibus non potest. Quis enim tam demens, qui consensu & placito innumerabilium stultorum, aperiri cœlum mortuis arbitretur: aut aliquid, quod ipse non habeat, dare alteri posse? Apud Romanos deus Iulius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio: deus Quirinus, quia hoc pacto ribus uisum est: quū alter germani fratris extiterit, alter patriæ paricida. Quod si consul non fuisset Antonius, C. Cæsar pro suis in rempublicam meritis, etiam defuncti hominis honore caruisset: & quidem consilio Pisonis soceri, & L. Cæsaris propinqui, qui uetabant funus fieri, & Dolobellæ cōsulis, qui columnam in foro, id est titulum eius euertit, ac forum expiauit. Nam Romulum desiderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens, hæc loquitur:

O Romule Romule dic, ô,  
 Qualem te patriæ custodem dii genuerunt;  
 Tu produxisti nos intra luminis oras.  
 O pater, ô genitor, ô sanguen dijs oriundum.

Ob hoc desiderium facilius creditum est Iulio Proculo mentienti: qui subornatus à patribus est, ut nunciaret plebi suæ, uidisse se regē humano habitu augustiorē, eumq; mandasse ad populum, ut sibi delubrum fieret, se deum esse, & Quirinum uocari. Quo facto et ipsi populo persuasit, Romulū ad deos abiisse, & senatum suspicione cædis regiæ liberauit.

*Qua ratione dii esse non possunt, quos sexus discernit: Et quod in naturam dei non cadit sexus, aut coitus, aut officium generandi.* Cap. XVI.



Oteram ijs, quæ retuli, esse cōtentus: sed supersunt adhuc multa suscepto operi necessaria. Nam quamuis ipso religionum capite destructo, uniuersa sustulerim, libet tamen prosequi cætera, & redarguere plenius inueteratam persuasionem, ut tandem homines pudeat suorum ac pœniteat errorum, Magnum hoc opus, & homine dignum,

Relligionum

*Cæsar ab Antonio cōsecratus.*

**A** Religionum animos nodis exoluere pergo,

ut ait Lucretius: qui quidem hoc efficere nō poterat, quia nihil ueri affererat. Nostrum est hoc officium, qui & uerum deum asserimus, et falsos refutamus. Illi ergo qui poetas finxisse de dijs fabulas opinantur, & deas foeminas esse credunt & colunt, reuoluuntur imprudentes ad id, quod negauerāt, coire illos ac parere. Nec enim fieri potest, quin duo sexus generandi causa sint instituti. Recepta uero sexuum diuersitate, non intelligunt consequens esse, ut concipiant: quod in deum cadere non potest, ut isti putant: nam & Iouis esse filios dicunt, & ceterorum deorum. Nascuntur ergo & quotidie quidem dii noui, nec enim uincuntur ab hominibus foecunditate. Igitur deorum innumerabilium plena sunt omnia, nullo scilicet moriente. Nam quum hominum incredibilis numerus sit, & inestimabilis, quos tamen, sicuti nascuntur, mori necesse est: quid deorū esse tandem putemus, qui tot seculis nati sunt, immortalesq; manserunt? Cur ergo tam pauci coluntur? nisi forte arbitramur non generandi causa, sed tantūmodo capiendae uoluptatis, duos esse sexus deorum, & ea exercere, quae homunculos & facere & pati pudet. Quum uero dicantur aliqui ex aliquibus nati, consequens est, ut semper nascantur: siquidem aliquando sunt nati, uel si aliquando nasci desierūt, scire nos conuenit, cur aut quādo desierint. Non illepide Seneca in libris moralibus philosophiae, Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? Vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit: an impetrauit ius trium liberorū? An tandem illi uenit in mentem, Ab alio expectes, alteri quod feceris? Et timet ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno? At isti, qui deos asserunt, uideant quomodo respondeant huic argumento quod inferemus. Si duo sunt sexus deorum, sequitur concubitus: & si coeunt, & domos habeant necesse est: nec enim carent uirtute ac pudore, ut hoc promiscue, aut in propatulo faciant, sicut muta uidemus facere animalia. Si domos habent, consequens est, ut & urbes habeant: & quidem autore Nasone, qui ait:

Plebs habitat diuersa locis, hac fronte potentes

Coelicolae, clariq; suos posuere penates.

Si habent urbes, & agros igitur habebunt. Iam quis non uideat quae sequantur, arare illos & colere: quod quidem uictus causa fit: ergo mortales sunt. Quod argumentum retrouersum idem ualet. Si enim agros non habent, ne urbes quidem: si urbes non habent, ne domos quidem. Si domibus carent, ergo & concubitus: si concubitus ab his abest, & sexus igitur foemineus. In dijs autem uidemus & foeminas esse, ergo dii nō sunt. Dissoluat hoc argumentū si quis potest. Ita enim res rem sequit, ut haec ultima necesse sit cōfiteri. Sed ne illud quidem dissoluet aliquis: ex duobus sexibus alter fortior, alter infirmior est. Robustiores enim mares sunt, foeminae imbecilliores. Imbecillitas autē nō cadit in deū: ergo nec foemineus sexus. Huic additur superioris argumenti extrema illa conclusio, ut dii non sint, quoniam in dijs & foeminae sunt.

Quod Stoici fidem historiarum, & poetarum figmenta inani physica ratione peruertunt, & quae miseriae & turpitudines de dijs referantur. Cap. XVII.

**B** has rationes Stoici alio uersus deos interpretantur. Et quia nō prauident quid sit in uero, conantur eos cum rerū naturalium ratione cōiungere: quos Cic. secutus, de dijs ac religionibus eorū hanc sententiā tulit: Videtis ne igit, ut à physicis rebus bene atq; utiliter inuentis, tractata ratio sit ad cōmentitios ac fictos deos: quae res genuit falsas opiniones, erroresq; turbulentos, superstitiones penē aniles: & formae enim deorum nobis & aetates

Gradatio sollogistica.



C & uestitus, ornatusq; noti sunt. Genera præterea, coniugia, cognationes omnes, omniaq; traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Quid planius, quid uerius dici potest? Romanæ philosophiæ princeps, & amplissimo sacerdotio præditus, commentitios ac fictos deos redarguit: quorum cultus superstitiones penè aniles esse testatur: falsis opinionibus, erroribusq; turbulentis implicatos esse homines queritur. Nam totus liber tertius de natura deorū, omnes funditus religiones euertit ac delet. Quid ergo à nobis expectatur amplius? Num eloquentia superare possumus Ciceronem? Minime id quidem: sed fiducia illi defuit ignorantia ueritatē, quod ipse simpliciter in eodem opere confitetur. Ait enim, facilius se posse dicere quid non sit, quàm quid sit: hoc est, falsa se intelligere, uera nescire. Clarū est igitur homines fuisse illos, qui dii putantur, & eorum memoriā post mortem consecratam esse, ideo etiā ætates diuersæ sunt, & certæ imagines singulorum: quod in eo habitu & ætate singulorum simulacra configurata sunt, in qua quencq; mors deprehendit. Consideremus (si placet) erumnas infelicū deorum. Isis filium perdidit, Ceres filiā: expulsa, & per orbem terræ iactata Latona, uix insulam paruam in qua pareret, inuenit. Deūm mater & amauit formosum adolescentem, & eundem cum pellice deprehensum, exactis uirilibus semiuirum reddidit: & ideo nunc sacra eius à Gallis sacerdotibus celebrantur. Iuno pellices acerrime persecuta est, quia parere ipsa non potuit ex fratre. Insulam Samum scribit Varro, prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleuerit, ibiq; etiā Ioui nupsit. Itaq; nobilissimum & antiquissimum templum eius est Sami, & simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrantur. Si ergo adoleuit, si uirgo fuit primo, postea mulier, hominem fuisse qui non intelligit, pecudem se fatetur. Quid loquar obscœnitatem Veneris omnium libidinibus prostituta, non deorum tantum, sed & hominum? Hæc enim ex famoso Martis stupro genuit Harmoniā: ex Mercurio Hermaphroditum, qui est natus Androgynus: ex Ioue Cupidinem, ex Anchisæ Aeneam, ex Bute Erycen: ex Adone quidem nullum potuit, qui etiā tum puer ab apro icus & occisus est. Quæ prima (ut in historia sacra continetur) artem meretriciā instituit, autorq; mulieribus in Cypro fuit, uti uulgò corpore quæstum facerent: quod idcirco imperauit, ne sola præter alias mulieres impudica, et uirorum appetens uideretur. Etiā ne habet hæc aliquid numinis, cuius plura numerantur adulteria, quàm partus? Sed ne illæ quidem uirgines illibatam castitatem seruare potuerunt. Vnde enim putemus Erichthoniū esse natum? An ex terra, ut poëtæ uideri uolunt? At res ipsa clamat: nam quum Vulcanus dijs arma fecisset, eiq; Iupiter optionem dedisset præmij, quod uellet postulandi, iurassetq; (ut solebat) per infernam paludem, se nihil negaturum, tum faber claudus Mineruæ nuptias postulauit. Hic Iupiter optimus maximus tanta religione constrictus, abnuere non potuit: Mineruam tamen monuit repugnare, pudicitiamq; defendere: tum in illa colluctatione Vulcanum in terram profudisse aiunt semen, unde sit Erichthonius natus: idq; illi nomen impositum ἐκ τῆς ἐλδοῦ καὶ χθονός, id est ex certamine, atque humo. Cur igitur uirgo eum puerum cum dracone conclusum & obsignatum, tribus uirginibus Cecropidis commendauit: euidens (ut opinor) incestū, quod nullo modo possit colorari. Altera quū penè amatorē suū perdidisset, qui erat turbatis distractus equis, præstantissimum medicum Aesculapium curando iuueni aduocauit, eumq; sanatum

Secretis alma recondit

Sedibus, & nymphæ Egeriæ, nemoriq; relegat,

Solus ubi in syluis Italis ignobilis æuū

Exigeret,

Cicero deos fictos redarguit.

Deorum erumnæ.  
Cybele Atym amauit.

D  
Veneris obscœnitas.

Erichthonius.



**A** Exigeret, uersocq; ibi nomine Virbius esset.

Quid sibi uult hæc tam diligens, tam sollicita curatio? quid secreta sedes? quid relegatio uel tam longe, uel ad mulierem, uel in solitudinem? quid deinde nominis commutatio? postremo quid equorū tam pertinax abominatio? Quid significant hæc omnia, nisi conscientiam stupri, & amorem minime uirginalem? Erat planè, cur tantum laborem pro tam fideli iuvene susciperet, quia amanti noueræ obsequium pernegaret.

Quomodo refellantur ij, qui deos esse factos ex hominibus mentiantur Cap. XVIII



**H**oc in loco refellendi sunt etiam ij, qui deos ex hominibus esse factos non tantum fatentur, sed ut eos laudent, etiam gloriantur: aut uirtutis gratia, ut Herculem: aut munerū, ut Cererem ac Liberū: aut artium

reperatarum, ut Aesculapium, uel Mineruam. Hæc uero quàm inepta sint, quamq; non digna, propter quæ homines inexpiablem se scelere contaminant, hostesq; deo uero fiant, quo contempto mortuorum sacra suscipiunt, ex singulis rebus ostendam. Virtutem esse dicunt, quæ hominem tollat in cælum: non illam de qua philosophi dixerunt, quæ posita est in nobis, animi: sed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo: quæ quoniam præcipua in Hercule fuit, immortalitatē meruisse creditur. Quis tam stulte ineptus est, ut corporis uires diuinum, uel etiam humanū bonum iudicet, quum sint & maiores pecudibus attributæ, & uno morbo sæpe frangantur, uel ipsa senectute minuantur & corruant? Itaq; idem, quum ille deformari hulceribus toros suos cerneret, nec sanari se uoluit, nec senem fieri, nequando seipso minor, aut deformior uideretur. Hunc tē rogo, quū seipsum cō-

*Virtus hominē  
tollit in cælum*

**B** bufferat, ascendisse in cælum putauerunt: eaq; ipsa, quæ stultissime admirati sunt, simulacris & imaginibus expressa & consecrata posuerunt, ut in perpetuum uanitatis eorum monumenta perstarent, qui ob necem bestiarum deos fieri credidissent. Sed hæc Græcorū fortasse culpa, qui res leuissimas pro maximis semper habuerunt. Quid nostri, num sapientiores? qui Athleticam quidem uirtutem contemnunt, quia nihil obest: sed regiam (quia late solet nocere) sic admirantur, ut fortes & bellicosos duces in deorum cœtū locari arbitrentur. Nec esse ullam aliam ad immortalitatem uiam, quàm exercitus ducere, aliena uastare, urbes delere, oppida excidere, liberos populos aut trucidare, aut subijcere seruituti: uidelicet quo plures homines afflixerint, spoliauerint, occiderint, eo se nobiliores & clariores putant: & inanis gloriæ specie capti, flagitijs sceleribusq; suis nomen uirtutis imponunt. Iam mallet, ut à ferarum cædibus deos sibi fingerent, quàm immortalitatem tam cruentam probarent. Si quis unum hominem iugulauerit, pro contaminato ac nefario habetur, nec ad terrenum hoc domicilium deorum admitti eum fas putant. Ille autem qui infinita hominum millia trucidauerit, cruore campos inundauerit, flumina infecerit, non modo in templum, sed etiam in cælum admittitur. Apud Ennium sic loquitur Africanus:

Si fas cædendo cœlestia scandere cuiquam est,

Mi soli cœli maxima porta patet.

Scilicet quia magnam partem generis humani extinxit ac perdidit. O quantis in tenebris Africane uersatus es, uel potius ô poëta, qui per cædes & sanguinem patere hominibus in cælum ascensum putaueris. Cui uanitati & Cicero assensit. Est uero, inquit, Africane: nam & Herculi eadem ipsa porta patuit: tanquam ipse planè, quū id fieret, ianitor fuerit in cælo. Equidē statuere non possum, dolendum ne potius an ridendū putem, quum uideam & graues, et doctos, & (ut sibi uidentur) sapientes uiros in tam miserandis errorū fluctibus uolutari. Si hæc est uirtus, quæ

*tergo*

*compressa*

*Græci res leuissimas pro maximis habuerunt.*

*Africani epithium.*

c nos immortales facit, mori equidem malim, quàm exitio esse quamplurimís. Si aliter immortalitas parari non potest, nisi per sanguinem, quid fiet si omnes in concordiam cōsenserint? Quod certe fieri poterit, si pernicioso et impio furore proiecto, innocentes esse ac iusti uelint. Num igitur nemo erit cœlo dignus? num peribit uirtus, quia hominibus in homines scire nō dabitur? Sed isti, qui euerfiones urbium populorumq; summam gloriam computant, ocium publicum non ferent, rapient, scruent, & iniurijs insolenter illatis, humanæ societatis scœdus irrum pent, ut habere hostem possint quem sceleratius deleant, quàm lacefferint. Nunc ad reliqua pergamus. Nomen deorum Cereræ ac Libero traditio munerum fecit. Possum diuinis docere literis, uinum atque fruges ante progeniem Cœli atque Saturni fuisse in usu hominum: sed ab his sanè inuenta esse fingamus. Num potest plus aut minus uideri collegisse fruges, hisq; fractis panē facere docuisse, aut uuas de uitibus lectas expressisse, uinūq; fecisse, quàm fruges ipsas, aut uites generasse, aut protulisse de terra? Reliquit hæc sanè deus humanis ingenijs eruenda: tamen fieri non potest, quin ipsius sint omnia, qui & sapientiam tribuit homini, ut inueniret: & ipsa illa, quæ possent inueniri, primus inuenit. Artes quoque suis inuentoribus immortalitatē peperisse dicuntur, ut Aesculapio medicina, Vulcano fabrica. Colamus igitur & illos, qui fullonicam, sutrinamq; docuerunt. Cur autem figulina repertori honos non habetur? An quia isti diuites uasa Samia contemnunt? Sunt & aliæ artes, quarum repertores humanæ uitæ plurimum profuerunt, cur non etiam illis attributa sunt templa? Sed nimirum Minerua est, quæ omnes reperit: ideoq; illi opifices supplicat. Ergo ab his sordibus Minerua ascendit in cœlū. Est uero causa cur quisquam derelinquat eum, qui terram cum animantibus, cœlum cum astris & luminibus exorsus est, ut eam ueneretur, quæ telam docuit ordiri? Quid ille, qui uulnera in corporibus sanare docuit? num potest esse præstantior, quàm qui corpora ipsa formauit, sentiendū ac uiuendi rationem dedit? herbas denique ipsas, & cætera, quibus medendi ars constat, excogitauit ac protulit?

Quod deos uanos, & deum uerum nemo simul potest colere.

Caput XIX



T enim dicit aliquis, & huic summo, qui fecit omnia, & illis, qui partim profuerunt, suam uenerationem esse tribuendam. Primum nec factum est unquam, ut qui hos colit, etiam deum coluerit, neque fieri potest: quoniam si honos idem tribuitur alijs, ipse omnino non colitur, cuius religio est, illum esse unū, ac solum deum credere. Clamat summus poëta eos omnes, qui inuentas uitam excoluere per artes, apud inferos esse: ipsumq; illum medicinæ repertorem talis & artis ad stygias undas fulmine esse detrusum: ut intelligamus, quantum ualeat pater omnipotens, qui & deos fulminibus extinguat. Sed homines ingeniosi hanc secum habebant fortasse rationem, quia deus fulminari non potest, apparet non esse factum: imò uero quia factum est, apparet hominem fuisse, non deum. Mendacium enim poëtarum non in facto est, sed in nomine. Metuebant enim malum, si contra publicam persuasionem faterentur, quod erat uerum. Quod si hoc constat inter ipsos, ex hominibus deos factos, cur ergo non credunt poëtis, si quando illorum fugas, & uulnera, & mortes, & bella, & adulteria describunt? Quibus ex rebus intelligi datur, non potuisse ullo pacto fieri deos, quia ne homines quidem probi fuerunt, eaq; in uita sua gesserunt, quæ mortem pariunt sempiternam.

Liber ac Ceres  
cur dij.


Artes inuentoribus  
diuinitatem pepererūt

Aesculapius  
à Ioue fulmine ictus.

De propria

De propria Romanorum religione.

Cap. XX

**A**  Enio nunc ad proprias Romanorum religiones, quoniam de com-  
munibus dixi. Romuli nutrix Lupa honoribus est affecta diuinis: &  
ferrem, si id animal ipsum fuisset, cuius figuram gerit. Autor est Liius  
Laurentia esse simulacrum, & quidem non corporis, sed mentis ac mo-  
rum. Fuit enim Faustuli uxor, & propter uulgaris corporis uilitatem, Lupa inter  
pastores, id est meretrix nuncupata est, unde etiam lupanar dicitur: exemplum  
scilicet Atheniensium, in ea figuranda Romani secuti sunt: apud quos meretrix  
quaedam nomine Leana, quum tyrannum occidisset, quia nefas erat simulacrum  
constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt, cuius nomen gerebat.  
Itaque ut illi monumentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt. Huius no-  
minis etiam dies festus dicitur, & Laurentinalia constituta. Nec hanc solum Ro-  
mani meretricem colunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse Ver-  
rius scribit. Iam quanta est immortalitas putanda, quam etiam meretrices assequun-  
tur? Flora, quum magnas opes ex arte meretricia quaesiuisset, populum Romanum  
scripsit heredem, certam pecuniam reliquit, cuius ex annuo faenore suus natalis  
dies celebraretur, additione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia senatui  
flagitiosum uidebatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendae rei  
quaedam dignitas adderetur, deam sinxerunt esse, quae floribus praesit: eamque oportere  
placari, ut fruges cum arboribus, aut uitis bene prospereque florescerent.  
Eum colorem secutus in Fastis poeta, non ignobilem nympham fuisse narrauit,  
quae sit Chloris uocitata: eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse  
muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem. Honestae quidem ista di-  
cuntur, sed inhoneste turpiterque creduntur. Non debent (quum ueritas quaeritur)  
huiusmodi nos uelamenta decipere. Celebrantur ergo illi ludi cum omni lasciuia,  
conuenientes memoriae meretricis. Nam praeter uerborum licentiam, quibus ob-  
scenitas omnis effunditur, exuuntur etiam uestibus populo flagitante, meretri-  
ces, quae tunc mimorum funguntur officio, & in conspectu populi usque ad satieta-  
tem impudicorum luminum, cum pudendis motibus detinentur. Cloacinae simula-  
crum in cloaca maxima repertum Tatius consecrauit: & quia cuius esset effigies igno-  
rabat, ex loco illi nomen imposuit. Pauorem, Palloremque Tullus Hostilius figura-  
uit & coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper deos suos (sicut  
optari solet) praesentes haberet? Ab hoc illud M. Marcelli de consecratione Hono-  
ris atque Virtutis honestate nominum differt, re congruit. Eadem uanitate Mentem  
quoque inter deos collocauit Senatus: quam profecto si habuisset, eiusmodi sacra  
nunquam suscepisset. Magnum Cicero, audaxque consilium suscepisse Graeciam  
dicit: quod Cupidinum & Amorum simulacra, in gymnasijs consecrasset: adulatus  
est uidelicet Attico, & irrisit hominem familiarem. Non enim illud magnum, aut  
omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita & deplo-  
rata nequitia, qui liberos suos, quos erudire ad honestatem deberent, prostituerunt  
libidini iuuentutis: a quibus flagitiorum deos, & in illis potissimum locis, ubi nuda  
corpora corruptorum luminibus patent, & in illa coli aetate uoluerunt, quae sim-  
plex & improuida prius irretiri, & in laqueos potest cadere, quam cauere. Quid  
mirum, si ab hac gente uniuersa flagitia manarunt, apud quam ipsa uitia religiosa  
sunt: eaque non modo non uitantur, uerum etiam coluntur? Et ideo huic sententiae,  
tanquam Graecos prudentia uinceret, adiecit: Virtutes enim oportet, non uitia  
consecrari. Quod si recipis o M. Tulli, non uides fore, ut irrumpant uitia cum uir-  
tutibus: quia mala bonis adherent, & in animis hominum potentiora sunt: quae si

Lupa Romuli  
nutrix.

Flora meretrix

Cupidinum si-  
mulacra in gy-  
mnasijs.

C uetas consecrari, respondebit tibi illa eadem Gracia, se alios deos colere, ut pro sint, alios ne noceant. Hæc enim semper excusatio est eorum, qui mala sua pro dijs habent, ut Romani Rubiginem ac Febrem. Si ergo uitia consecranda nō sunt, in quo tibi assentior, ne uirtutes quidem. Non enim per se sapiunt, aut sentiunt: neq; intra parietes, aut ædículas luto factas, sed intra pectus collocandæ sunt, & interius comprehendendæ, ne sint falsæ, si extra hominem fuerint collocatæ. Itaq; præclaram illam legem tuam derideo, quam ponis his uerbis; Ast illa, propter quæ datur homini ascensus in cœlum, mentem, uirtutem, pietatem, fidem, earumq; laudum delubra sunt. Atqui hæc separari ab homine non possunt. Si enim colenda sunt, in homine ipso sint necesse est. Si autem sunt extra hominem, quid opus est ea colere, quibus careamus? Virtus colenda est, nō imago uirtutis: & colenda est, nō sacrificio aliquo, aut thure, aut precatōne solenni, sed uoluntate sola, atq; proposito. Nam quid est aliud colere uirtutem, nisi eam comprehendere animo & tenere? Quod unusquisq; simul occipit uelle, consequitur. Hic solus uirtutis est cultus: nam religio & ueneratio nulla aia, nisi unius dei tenēda est. Quid igitur opus est o uir sapientissime, superuacuis extructionibus loca occupare, quæ possint humanis usibus cedere: quid sacerdotes cōstituere, uana et insensibilia culturos: quid immolare uictimas: quid tantos sumptus uel fingendis, uel colendis imaginibus impendere? Firmius & incorruptius templum est pectus humanum: hoc potius ornatur, hoc ueris illis numinibus impleatur. Has ergo falsas consecrationes esse sequitur, quod necesse est. Qui enim uirtutes sic colunt, id est, qui umbras atque imagines uirtutum consecrantur, ea ipsa, quæ uera sunt, tenere non possunt. Itaq; nulla in quoquam uirtus est, uitijs ubiq; dominantibus: nulla fides, omnia pro se unoquoq; rapiente: nulla pietas, nec cōsanguineis, nec parentibus, præeunte auaritia, & cupiditate in uenenum & ferrum ruente: nulla pax, nulla concordia, publice bellis fauentibus, priuatis inimicitijs usque ad sanguinem furentibus: nulla pudicitia, libidinibus effrenatis omnem sexum, & omnes corporis partes contaminantibus. Nec tamen desinunt ea colere, quæ fugiunt, & oderunt. Colunt enim thure, ac summis digitis, quæ sensibus intimis colere debuerunt: qui error omnis ex illius principalis ac summi boni ignorance descendit. Vrbe à Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, quum ex mulierū capillis tormenta fecissent, ædem Veneri caluæ consecrarunt. Non igitur intelligunt, quàm uanæ sint religiones, uel ex eo ipso, quod eas his ineptijs cauillant. A Lacedæmonijs fortasse didicerant, deos sibi ex euentis fingere: qui quū Messenios obsiderent, & illi furtim deceptis obsessoribus egressi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, à Spartanis mulieribus fugati fusiq; sunt. Cognitis autem hostiū insidijs, Lacedæmonij sequebantur. His armatæ mulieres obuiam longius exiuerunt: quæ quum uiros suos cernerent parare se ad pugnam, qui putarent Messenios esse, corpora sua nudauerunt. At illi uxoribus cognitis, & aspectu in libidinem concitati, sicut erant armati permisti sunt utique promiscue: nec enim uacabat discernere. Sic iuuenes ab iisdem antea missi cum uirginibus, ex quibus sunt Parthenij nati. Propter huius facti memoriā, ædem Veneri armatæ simulacrū posuerūt: quod tamen si ex causa turpi, tamen honestius uidetur armatam Venerem consecrasse, quàm caluam. Eodem tempore Ioui quoque pistori ara apposita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostiū castra iactarent: eoq; facto, soluta est obsidio, desperatibus Gallis inopia subigi posse Romanos. Quæ ista religionū derisio est: si earū defensor essem, quid tam graui ter quæri possem, quàm deorū nomen in tantū uenisse contemptū, ut turpissimis nominibus

Virtus quomodo colenda.

Veneris caluæ ades.

Veneris armatæ ades.

**A** nominibus ludibrio habeat: Quis non rideat Fornacem deam: uel potius doctos uiros celebrandis fornacalibus operari: Quis, quum audiat deam Mutam, tenere risum queat: Hanc esse dicunt, ex qua sint nati Lares, & ipsam Larum nominat, uel Larundam. Quid prestare colenti potest, quae loqui non potest: Colitur & Caca, quae Herculi fecit indicium de furto bouum: diuinitatem consecuta, quia perdidit fratrem. Et Cunina, quae infantes in cunis tuetur, ac fascinum summouet. Et Sterculius qui stercoreandi agri rationem primus induxit. Et Mutinus, in cuius sinu pudendo nubentes praesident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse uideatur. Et mille alia portenta, ut iam uaniores qui haec colenda susceperint, quam Aegyptios esse dicamus, qui mostrosa & ridicula quaedam simulacra uenerant & colunt, quae tamen habent aliquam imaginem. Quid, quod lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen erat Terminus: Hic est, quem pro Ioue Saturnus dicitur deuorasse. Nec immerito illi honos tribuit. Nam quum Tarquinius Capitolium facere uellet, eoque in loco multorum deorum sacella essent, consuluit eos per auguria, utrum Ioui cedere uellent, et ceteris ceteris, solus Terminus mansit: unde illum poeta Capitolij immobile saxum uocat. Iam ex hoc ipso uides quam magnus Iupiter inuenit, cui non cessit lapis: ea fortasse fiducia, quod illum de paternis faucibus liberauerat. Facto itaque Capitolio, supra ipsum Terminum foramen est in tecto relictum: ut quia non cesserat, libero caelo fruere: quo ne ipsi quidem fruebant, qui lapidem frui putauerunt. Et huic ergo publice supplicat, quasi custodi finium deo, qui non tantum lapis, sed etiam stipites interdum est. Quid de his dicam, qui colunt talia, nisi ipsos potissimum lapides ac stipites esse:

*Turpia deorum nomina.*

*Tutinus*

*Terminus deus*

*De sacrificijs, et mysterijs eorum.*

Cap. XXI

**B** Iximus de dijs ipsis, qui coluntur: nunc de sacris ac mysterijs eorum pauca dicenda sunt. Apud Cypri Salaminem humanam hostiam Ioui Teucus immolauit, idque sacrificium posteris tradidit, quod est nuper Hadriano imperante sublatum. Erat lex apud Tauros inhumanam & feram gentem, uti Dianae hospites immolarentur, & id sacrificium multis temporibus celebratum est. Galli Esom, atque Teutatem humano cruore placabant. Nec Latini quidem huius immanitatis expertes fuerunt: siquidem Latialis Iupiter etiam nunc sanguine colitur humano. Quid ab his boni precatur, quibus sic sacrificant: Aut quid tales dii hominibus prestare possunt, quorum poenis propitiantur: Sed de barbaris non est adeo mirandum, quorum religio cum moribus congruit. Nostri uero, qui semper mansuetudinis & humanitatis gloriam sibi uendicarunt, nonne sacrilegis his sacris immaniores reperiunt: Hi enim potius scelerati sunt habendi, qui, quum sint liberalium disciplinarum studijs expoliti, ab humanitate desciscunt, quam qui rudes et imperiti ad mala facinora bonorum ignoratione labunt. Apparet tamen antiquum esse hunc immolandum hominum ritum: siquidem Saturnus in Latio eodem genere sacrificij cultus est: non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tyberim de ponte Miluio mitteretur. Quod ex responso quodam factitatum Varro autor est: cuius responsi ultimus uersus est talis:

*Qui dii humanis hostijs placantur.*

*καὶ κεφαλὰς κρονίδην κ' ἔσθ' πατρὶ πέμπετε φῶτα.*

Quod quia uidetur ambiguum, & saxum illi, & homo iaci solet. Verum id genus sacrificij ab Hercule, quum ex Hispania rediret, dicitur esse sublatum: ritu tamen permanente, ut pro ueris hominibus imagines iacerent ex scirpo, ut Ouid. in Fastis docet:

Donec in haec uenit Tirynthius arua quotannis,

Tristia Leucadio sacra peracta deo.

Illum stramineos in aquam misisse quirites,

Herculis exemplo corpora falsa iace.

**c** Hæc sacra Vestales uirgines faciunt, ut ait idem:

Tum quoq; præcorum uirgo simulacra uirorum

Mittere roboreo scirpea ponte solet.

*Saturno infan-*  
*tes immolaban-*  
*tur.*

Nam de infantibus, qui eidem Saturno immolabatur propter odiū Iouis, quid dicam non inuenio, tam barbaros, tam immanes fuisse homines, ut paricidiū suum, id est tetrum atq; execrabile humano generi facinus, sacrificiū uocarent: quū teneras atq; innocentes animas, quæ maxime est ætas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemq; omnium bestiarū, quæ tamen foetus suos amant, feritate superarent. O dementiā insanabilem: quid illis isti dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quàm faciunt propitij: quum suos cultores paricidijs inquinant, orbitatibus maciant, humanis sensibus spoliant? Quid potest esse his hominibus sancti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter aras eorum summa scelera cōmittunt? Pescenius Festus in libris historiārū per satyram refert, Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare: & quum uicti essent ab Agathocle rege Siculorum, iratum sibi deum putauisse: itaq; ut diligentius piaculum soluerent, ducentos nobilium filios immolasse.

*Agathocles.*

Tantum religio potuit suadere malorum,

Quæ peperit saepe scelerosa atq; impia facta.

*Varij sacrorū*  
*ritus.*

Cui ergo dementissimi homines illo sacrificio consulebant, quū tantam partem ciuitatis occiderent, quantā fortasse ne Agathocles quidē uictor occiderat? Ab isto genere sacrorū non minoris insanix iudicanda sunt publica illa sacra, quorum alia sunt matris deūm, in quibus homines suis ipsi uirilibus litant: amputato enim sexu non uiros se, nec foeminas faciunt: Alia Virtutis, quam eandem Bellonam uocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Secūis namq; humeris, & utraq; manu districtos gladios exerentes currunt, & efferunt, & insanunt. Optime igitur Quintilianus fanatico: Istud (inquit) si deus cogit, iratus est: etiam ne hæc sacra sunt? Nonne fatius est pecudū more uiuere, quàm deos tam impios, tam profanos, tam sanguinarios colere? Sed unde isti errores, & hæc tanta flagitia manauerūt, suo loco disseremus: interim uideamus cætera, quæ carent sceleris, ne studio insectarē uideamur eligere peiora. Isis Aegyptia sacra sunt, quatenus filium paruulū uel perdiderit, uel inuenerit. Nam primo sacerdotes eius deglabrato corpore sua pectora tundunt, lamentant, sicut ipsa, quū filiū perdidit, fecerat. Deinde puer producit quasi inuentus, & in lætitiā luctus ille mutatur, ideo Lucanus: Nunquamq; satis quæsitus Osiris. Semper enim perdunt, & semper inueniūt. Refertur ergo in sacris imago rei, quæ uere gesta est: quæ profectō si quid sapimus, declarat mortalem mulierem fuisse, ac penē orbam, nisi unicū reperisset: quod illum ipsum poëtam minime fugit, apud quem Pompeius adolescens, morte patris audita, hæc loquitur:

Euoluam busto iam numen gentibus Isim,

Et tectum ligno spargam per uulgus Osirim.

*Mortuis deis*  
*ficatis nomina*  
*immutabantur*

Hic est Osiris, quem Serapin et Serapidem uulgus appellat. Solent enim mortuis cōsecratis nomina immutari, credo ne quis putet eos homines fuisse. Nam & Romulus post mortē Quirinus dictus est: & Leda Nemesis: & Circe Marica: & Ino, postq; se præcipitauit, Leucothea, materq; Matuta: & Melicertes filius eius Palæmon atq; Portumnus. Sacra uero Cereris Eleusinae nō sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctu matris inquiri, ita hic ad incestū patris matrimonium raptā Proserpina: quā quia facibus ex Aetnae uertice accensis quæsisse in Sicilia Ceres dicit, idcirco sacra eius ardentū tedarū iactatione celebrant. Apud Lampfacū Priapo

Priapo

**A** Priapo † lætabilis uictima est asellus. Cuius sacrificij ratio in fastis hæc reddit. Quū †litablis. Vestæ & Priapifabula. dij omnes ad festū matris magnæ cōuenissent, epulisq; satiati noctem lusibus du- cerent, quieuisse humi Vestam, somnūq; cepisse: ibi Priapū somno eius ac pudici- tiæ insidiatū: sed illam intempestiuo clamore aselli, quo Silenus uehebat, excita- tam: libidinē uero insidiatoris esse detectā. Hac de causa Lampfacenos asellū Pria- po quasi in ultionē mactare consueuisse. Apud Romanos uero eundem Vestali- bus sacris in honorē pudicitiae cōseruatae, panibus coronari. Quid turpius? Quid flagitiosius, q̄ si Vesta beneficio asini uirgo est? At poëta fabulam finxit. Num er- go illud est uerius quod referunt ij, qui φαινόμυα cōscripserunt: quum de duabus Aselli due fictio le in Cancro. Cancris stellis loquunt, quas Græci ὄνυς uocant, asellos fuisse, qui Liberū patrem transuexerint, quū amnem transire non posset: quorū alteri hoc præmium dede- rit, ut humana uoce loquerēt: itaq; inter eum Priapūq; ortū esse certamē de mem- bri obsceni magnitudine: Priapum uictum & iratū interemisse uictorē. Hoc ue- ro multo magis ineptū est, sed poëtis licet quicquid uelint. Non excutio tam de- forme mysteriū, nec Priapum denudo, ne quid appareat risu dignum. Finxerunt hæc sanè poëtæ, sed necesse est alicuius maioris turpitudinis tegendæ gratia ficta sint: quæ sint ergo, quæramus. At ea profectò manifesta est. Nam sicut Lunæ tau- rus mactatur, quia similiter habet cornua: &

Placat equo Persis radijs Hyperiona cinctum,

Ne detur celeri uictima tarda deo:

Ita in hoc, quia magnitudo membri uirilis enormis est, nō potuit ei mōstro aptior uictima reperiri, quàm quæ ipsum, cui mactat, posset imitari. Apud Lindū, quod Herculis Lina- dij sacra. est oppidū Rhodi, Herculis sacra sunt, quorū à cæteris longe diuersus est ritus. Si quidem nō θυφύμια (ut Græci appellant) sed maledictis & execratione celebran- tur: eaq; pro uiolatis habent, si quādo inter solennes ritus uel imprudenti alicui ex- ciderit bonum uerbū. Cuius rei hæc ratio reddit, si tamen ulla esse in rebus uanissi- mis potest. Hercules, quū eò delatus esset, famemq; pateret, aratorē quendā aspe- xit operantē, ab eoq; petere cœpit, ut sibi unū bouem uenderet. Enim uero ille ne gauit fieri posse: quia spes sua omnis colendæ terræ, duobus illis iumentis niteret. Hercules solita uiolentiā usus, quia unū accipere nō potuit, utrūq; sustulit. At ille infelix, quum boues suos mactari uideret, iniuriā suam maledictis ultus est: quod homini eleganti & urbano gratissimū fuit. Nam dum comitibus suis epulas appa- rat, dumq; alienos boues deuorat, illum sibi amarissime cōuiciantē, cum risu & ca- chinnis audiebat. Sed postq; Herculi diuinos honores ob admirationē uirtutis de- ferri placuit, à ciuibus ei ara posita est, quā de facto βόσσυρον, id est bouis iugū nomi- nauit: ad quam duo iuncti boues immolarentur, sicut illi, quos abstulerat aratori, eumq; ipsum sibi cōstituit sacerdotē, ac præcepit, ut iisdē maledictis semper in ce- lebrandis sacrificijs uteret, qd negaret se unquā epulatū esse iucundius. Hæc iam nō sacra sunt, sed sacrilegia, in quibus id factū dicitur, qd in alijs si fiat, seuerissime uindicat. Ipsi autē Cretici Iouis sacra quid aliud, q̄ q̄modo sit aut subtractus pa- tri aut nutritus, ostendunt: Capella enim Amalthææ nymphæ, quæ uberibus suis Iouis Creticæ sacra. aluit infantē, de qua Germanicus Cæsar in Aratao carmine sic ait: Illa putatur

Nutrix esse Iouis, si uere Iupiter infans

Vbera Cretææ mulsit fidissima capræ,

Sydere quæ claro gratum testatur alumnum.

Huius capellæ corio usum esse pro scuto Iouem contra Titanas dimicantem, Mu- sæus autor est, unde à poëtis αἰγίον nominatur. Ita quicquid est gestum in ab- sccondendo puero, id ipsum per imaginem geritur in sacris.

C Sed & matris eius mysterium idem continet, quod Ouidius exponit in Fastis:

Ardua iam dudum resonat tinnitibus Ide,  
Tutus ut infanti uagiat ore puer.  
Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes,  
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.  
Res latuit, prisciꝫ manent imitantia facti  
Aera deæ comites raucaꝫ terga mouent.  
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulfant,  
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante modos.

Curetes Iouis  
altiores.

Hanc totam opinionē quasi à poëtis fictam Sallustius respuit: uoluitꝫ ingeniose interpretari, cur altores Iouis dicantur Curetes fuisse, & sic ait: Quia principes intelligendī diuina fuerunt, uetustatē ut cætera in maius cōponentem altores Iouis celebrauissent. Quantū errauerit homo eruditus, iam res ipsa declarat. Si enim princeps est Iupiter & deorū & religionū, si ante illum dii nulli colebātur uulgo, quia nondū nati fuerant, qui coluntur, apparet Curetes ex diuerso principes fuisse diuina non intelligendī, per quos error omnis inductus est, & dei ueri memoria sublata. Ex ipsis itaq; mysterijs & ceremonijs intelligere debuerūt, hominibus se mortuis supplicare. Nō igitur exigo, ut aliquis poëtarū fictionibus credat: qui hos mentiri putat, pontificū ipsorū scripta consideret, & quicquid est literarū ad sacra pertinentium, reuoluat: plura fortasse quā nos afferimus, inueniet: in quibus intelligat, inania, inepta, cōmentitia esse omnia, quæ pro sanctis habentur. Si quis autē percepta sapientia deposuerit errorē, profectō ridebit ineptias hominū penē de mentium: illos dico, qui uel inhonesto saltatu tripudiant, uel qui nudi, uncti, coronati, personati, aut luto obliti currunt. Quid de scutis iam uetustate putridis dicā: quæ quum portant, deos ipsos se gestare humeris suis arbitrant. Nam Furius Bibaculus inter præcinea pietatis exempla numerat: qui quum prætor esset, tamen licitoribus præeuntibus ancyle portauit, quum haberet magistratus beneficio muneris uacationem. Non ergo ille Furius, sed planē furiosus fuit, qui præturam hoc ministerio se putauit ornare. Meritō igitur, quum hæc à uiris non imperitis ac rudibus fiant, Lucretius exclamat:

Ancyle.  
D

O stultas hominum mentes, ô pectora cæca,  
Quamlibet in tenebris uitæ, quantisq; periculis  
Degitur hoc æui, quodcunq; est.

Quis hæc ludibria non derideat, qui habeat aliquid sanitatis: quū uideat homines uelut mente captos ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu, nimis lasciuus & ineptus esse uideatur.

Quis autor prædictarum uanitatum in Italia apud Romanos fuerit,  
& quis apud alias gentes. Cap. XXII

Numa Supersti-  
tionum autor.



Arum uanitatum apud Romanos autor & constitutor Sabinus ille rex fuit, qui maxime animos hominum rudes atq; imperitos nouis superstitionibus implicauit: quod ut faceret aliqua cum autoritate, simul lauit cum dea Egeria nocturnos se habere congressus. Erat quædam spelunca peropaca in nemore Aricino, unde riuus perenni fonte manabat: huc remotis arbitris, se inferre consueuerat, ut mentiri posset monitu deæ coniugis ea sacra populo se tradere, quæ acceptissima dijs essent. Videlicet astutiam Minois uoluit imitari, qui se in antrum Iouis recondebat, & ibi diu moratus, leges tanquam sibi à Ioue traditas afferebat: ut homines ad parendum non modò imperio, sed etiam religione constringeret. Nec difficile sanè fuit, persuadere pastoribus. Idem pontifices, flamines, salios, augures creauit, deos per familias descripsit.

Sic



A Sic noui populi feroces animos mitigauit, & ad studia pacis à rebus bellicis auocauit. Sed quum alios falleret, seipsum tamen non fefellit. Nam post annos plurimos, Cornelio & Bebio *COSS.* in agro scribæ Petili sub Ianiculo arcæ duæ lapideæ sunt repertæ à fossoribus: quarum in altera corpus Numæ fuit, in altera septem Latini libri de iure pontificio: item Græci totidem, de disciplina sapientiæ scripti: quibus religiones non eas modò, quas ipse instituerat, sed omnes præterea dissoluit. Qua re ad senatum delata, decretum est, ut hi libri abolerentur. Ita eos Q. Petilius Prætor urbanus in concione populi concremauit. Insuper id quidē: quid enim profuit libros esse combustos, quum hoc ipsum, quod sunt ideo combusti, quia religionibus derogabatur, memoriæ sit traditum? Nemo ergo tunc in senatu non stultissimus. Potuerunt enim & libri aboleri, et res tamen in memoriam non exire. Ita dum uolunt & posteris approbare, quanta pietate defenderint religiones, autoritatem religionum ipsarum testando minuerunt. Sed ut Pompilius apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit, sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui & Saturno nefaria sacra constituit, & Picum patrem inter deos honorauit, & sororem suam Fatuam Faunam, eamque coniugem consecrauit: quam C. Bassus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consueuisset, ut Faunus uiris. Eandem Varro scribit tantæ pudicitiae fuisse, ut nemo eam, quoad uixerit, præter uirum suum, mas uiderit, nec nomen eius audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant, & Bonam deam nominant. Et Sex. Clodius in eo libro, quem græce scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse: quæ, quia contra morem decusque regium clam uini ollam ebiberat, & ebria facta erat, uirgis myrteis à uiro usque ad mortem caesa: postea uero quum eum facti sui poeniteret, & desiderium eius ferre non posset, diuinum illi honorem detulisse: idcirco in sacris eius obuolutam uini amphoram poni. Reliquit ergo posteris Faunus quoque non parum erroris, quem tamen prudentes quique perspiciunt. Nam Lucillius eorum stultitiam, qui simulacra deos putant esse, deridet his uerbis:

Terricolæ lamias Fauni quas Pompiliique  
Instituere Numæ tremis has, hic omnia ponit.

Ut pueri infantes credunt signa omnia athena  
Viuere & esse homines, sic isti omnia ficta

Vera putant: credunt signis cor inesse athenis.

Pergula pictorum. &c.

Poëta quidem stultos homines infantibus comparauit: at ego multo imprudentiores esse dico. Illi enim simulacra homines putant esse, hi deos: illos ætas facit putare quod non est, hos stultitia. Illi utique breui desinunt falli: horum uanitas & durat, & semper crescit. Sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Græciam, primusque celebrauit in monte Bœotia, Thebis ubi Liber natus est proximo: qui quum frequenter citharæ cantu personaret, Citheron appellatus est. Ea sacra etiã nunc Orphica nominantur, in quibus ipse postea dilaceratus & carptus est: & fuit per eadem ferè tempora, quibus Faunus. Sed quis ætate præcesserit, dubitari potest: siquidem per eosdem annos Latinus, Priamusque regnauerunt: item patres eorum Picus, et Laomedon: quo regnante, Orpheus cum Argonautis ad Iliensium littus accessit. Procedamus igitur ulterius, et quæramus, quis omnino colendorum deorum primus autor extitit. Didymus in libris *ἑλληνιστῶν τῶν ἀρχαίων* ait, Melissea Cretensium regem primū diis sacrificasse, ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Huius duas fuisse filias, Amalthæam, & Melissam, quæ loue puerum caprino lacte ac melle nutrierunt. Vnde poetica illa fabula originem sumpsit, aduolasse apes, atque os pueri melle complexisse, Melissam uero à patre primam sacerdotem matri magnæ constitutam: un-

Numæ libri.

Institutores religionum apud Romanos.

Orpheus in Græciam Liberi patris sacra primus inuexit

Melisseus primus sacrificauit.

Iupiter sibi fa-  
na constituit.

C de adhuc eiusdem matris antistites Melissæ nuncupantur. Historia uero sacra testa-  
tur ipsum Iouem, postquam rerum potitus est, in tantam insolentiam uenisse, ut  
ipse sibi fana multis in locis cōstitueret. Nam quum terras circuiret, in quancunq;  
regionem ueniret, reges principes uel populorum hospitio sibi & amicitia copu-  
labat: & quum à quoq; digrederetur, iubebat sibi fanum creati hospitis sui nomi-  
ne: quasi ita posset amicitiae & foederis memoria conseruari. Sic cōstituta sunt tem-  
pla Ioui Atabyrio, Ioui Labradeo: Atabyrius enim & Labradeus hospites eius,  
atque adiutores in bello fuerunt. Item Ioui Laprio, Ioui Molioni, Ioui Cassio, &  
quæ sunt in eundem modum: quod ille astutissime excogitauit, ut & sibi honorem  
diuinum, & ut hospitibus suis perpetuum nomen acquireret cum religione con-  
iunctum. Gaudebant ergo illi, & huic imperio eius libenter obsequebantur, & no-  
minis sui gratia ritus annuos, & festa celebrabant. Simile quiddam in Sicilia fecit  
Aeneas, quum cōditæ urbi, Acestæ hospitis nomen imposuit, ut eam postmodū  
lætus ac libens Acestes diligeret, augetet, ornaret. Hoc modo religionem cultus  
sui per orbem terræ Iupiter seminauit, & exemplum cæteris ad imitandum dedit.  
Siue igitur à Melisseo, sicut Didymus, colendorum deorum ritus effluxit, siue ab  
ipso quoque Ioue, ut Euhemerus tradit, de tempore tamen constat, quando dii co-  
li cœperint. † Melisseus quidem multū antecessit ætate, quippe qui educauerit Iouem  
nepotem. Et idcirco fieri potest, uel ut antè, uel adhuc puero Ioue, deos cole-  
re instituerit, id est alumni sui matrem, & auiam Tellurē, quæ fuit Vrani cōiunx,  
& patrem Saturnū: & ipse hoc exemplo atque instituto Iouem ad tantam super-  
biam prouexerit, ut postea sibi diuinos honores auderet assumere.

Acestes Siciliae  
rex.

† Melissea qui-  
dem Vranus  
antecessit

Quo tempore cœperint superstitiones, quibusq; sub autoribus. Cap. XXIII

D



Belus Assyrio-  
rum rex.

Vnc quoniam uanarum superstitionū originemprehendimus, su-  
perest, ut etiam tempora colligamus, per quæ fuerint illi, quorum me-  
moria colitur. Theophilus in libro de temporibus ad Autolycom scri-  
pto, ait in historia sua Thallum dicere, quod Belus, quem Babylonij  
& Assyrii colunt, antiquior Troiano bello fuisse inuenitur cccxxii annis.  
Belus autem Saturno æqualem fuisse, & utrunq; uno tempore adoleuisse. Quod  
adeo uerum est, ut ratione ipsa colligi possit. Nam & Agamemnon, qui gessit bel-  
lum Troicum, Iouis abnepos fuit, & Achilles Aiæq; pronepotes, & Ulysses eo-  
dem gradu proximus, Priamus quidem longa serie. Sed autores quidam tradunt  
Dardanum & Iasum Coriti filios fuisse, non Iouis. Nec enim, si ita fuisset, ad usus  
impudicos Ganymedem pronepotem suum habere potuisset. Itaque parentibus  
illorum, quos supra nominauimus, si cōgruenter annos diuidas, numerus consentiet.  
Ab excidio autem Troianæ urbis colliguntur anni mille quadringenti septuagin-  
ta. Ex hac temporum ratione manifestum est, ante annos nō amplius quam mille  
octingentos natum esse Saturnum, qui & sator omnium deorum fuit. Non ergo  
isti gloriantur sacrorum uetustate, quorum & origo, & ratio, & tempora depre-  
hensa sunt. Restant adhuc aliqua, quæ ad arguendas religiones falsas plurimum  
ualent: sed iam finem facere libro decreui, ne modum excedat. Ea enim plenius  
sunt exequenda: ut omnibus refutatis, quæ ueritati uidentur obstare, homines, qui  
bonorum ignorantia uagantur incerti, ad religionem ueram possimus imbueri.  
Primus autem sapientiæ gradus est, falsa intelligere: Secundus, uera cognoscere. Er-  
go apud quæ hæc prima institutio nostra profecerit, qua falsa deteximus, excitabit  
ad ueritatem cognitionē, qua nulla est homini iucundior uoluptas: & erit iam sapientia  
cœlestis disciplinæ dignus, qui ad cognoscenda cætera libens ac paratus accesserit.